D. HIERONYMI MEAZZA CLERICI REGULARIS ... EXTEMPORANEA MISCELLANEA:...

Girolamo Meazza

Digitized by Google

5. 11. 128

5EE. 11.

Digitized by Google

VII
M.E.A.Z. P.a
1702

Digitized by Google

Digitized by Google

EXTEMPORANEA MISCELLANEA R. P. MEAZZA.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. HIERONYMI MEAZZA

Clerici Regvlaris

In Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunali Mediolani Conſultoris,

pro Eadem Librorum Cenſoris, &c.

EXTEMPORANEA MISCELLANEA:

Siue

Svccisivi Opvscvli

Pars quarta,

Academica Problemata, Inſcriptiones, Epitaphia, Anagrammata, Prouerbia, plurium ſpecierum Carmina continens.

MEDIOLANI,

Typis Ioſephi Pandulphi Malateſtæ, Anno 1701.

Cum Superiorum facultate; & Priuilegio Excellentiſſimi Senatûs.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

Tituli S. Nerei, & Achillei

D. LEANDRO COLLOREDO

Maiori Pœnitentiario.

Humillimus in CHRISTO Seruus
D. Hieronymus Meazza C. R.
Vtramque felicitatem.

IGnoſcat Eminentia Vestra mihi, ſi eò creuit in me animus, vt digno adeò S. R. E. Principi, typi literis, mea deferam obſequia; quodque maius eſt, vnà Ipſi parui momenti rem dedicem, Opuſcu-

Digitized by Google

lum ſucciſiuum. Non ideò E. V. ex minori erga eandem reuerentiæ id procedere ſtudio arbitretur; ſed ex maximà ſerui deuinctiſſimi obſeruantiá: ſed firmâ ex confidentiá, quam in V. E. fixi, tot benigniſſimis oſtenſionibus, ex merá cordis ſui Eminentiſſimi donatus generoſitate. Neſciebam ſanè, quo pacto, pro acceptis poſſem honoribus promptiùs reſpondere, quàm primá, quæ pòſt illos in lucem ex me prodiret, Lucubratione; eſſetque in teſtimonium æternæ perceptorum fauorum memoriæ: in nunquàm interituræ meæ erga E. V. obligationis. Nec veretur reperire penès religioſiſſimum Principem Liber meus præſidium: apud eruditiſſimum Mæcenatem Patrocinium, ſi illum Eminentia Veſtra dignata fuerit intueri. Conijciet enim, ſcribentis ſcopum, primò fuiſſe, Dei gloriam, tùm morum, & ingeniorum illuſtrationem. Retrahebat non nihil, nè exile hoc offerrem tributum, delicioſa huiusmodi compoſitionum ſpecies pro tàm præcipua grauioribus quotidiè Sanctæ Romanæ Eccleſiæ negotijs, legendiſque altiorum Doctrinarum Voluminibus occupatâ mente. Verùm, aduertens, quod, licèt his E. Veſtra vacet; amœnioribus etiam ſe diuidit ſtudijs; ſeu potiùs totam ſe illis ità elargitur; vt in quolibet integra videatur; immò omnia ad admirationem vſque in ſe exhibeat; propterreà

Digitized by Google

reà ſubſtiti: Pudebat me tantummodò, fateor, tenuitatis doni nihilo proximi. Sciens tamen, & minima in Grandium manibus euadere grandia; quin, & magnoperè æſtimari, ſi pleno cordis affectu; ſi profundâ intellectùs demiſſione Heroibus conſecrentur; minimè ſum poſteà veritus, ad Eminentiam Veſtram cum hoc munuſculo accedere. Augebatur verò in me ampliùs ſpiritus, vbi mecum ipſe conſiderabam, nullum ab Eminentia Veſtra dimitti, qui exoptatam non obtinuerit gratiam: adeò Nobiliſſimi ſui Sanguinis humanitate: ità proprijs Magnanimi Principis prærogatiuis excellit.. His præmeditatis, poteram ego-ne dubitare, nè dixerim timere de cuiusuis mei etiam modici muneris, ſi nuncuparetur, benigniſſimâ acceptatione? Ad hanc reſpiciens: hanc omninò ſperans, ob celſiſſimi Eminentiæ Veſtræ meriti obteſtationem: ob gratam pro impertitâ mihi beneuolentiâ venerationem: ob ſtrictioris nodi ſeruitutis profeſſionem, Eminentiæ Veſtræ inſcribere ſtatui hanc Quartam Extemporaneorum meorum Miſcellaneorum Partem; vel maximè, quod, inſpecto à legentibus in illius fronte ita ſplendido Nomine, Principis, Virtutibus æquè, ac melioribus diſciplinis præclariſſimi; reddentur curioſi non pauci, totum Librum, ſucciſiuis ſaltem horis, perluſtrandi; & ſtudioſarum

 adin-

Digitized by Google

adinſtar apum, lecta à floribus, ſuper quibus inſederint, in melleæ ſapientiæ dulcedinem immutandi. Quibus E. V. ſacram exoſculans Purpuram, iterùm, atq; iterùm Emin. Veſtræ meam ſiſto mancipationem, DEVM Optimum Maximum deprecans; vt valeat Veſtra Eminentia ad DEI decus: ad communis boni beneficium: ad Romanæ Purpuræ magnificentiam: ad ſeruorum ſuorum, meique omnium, ob nullum ferè perſonæ meæ pretium, poſtremi, conſolationem.

E ſacris noſtris S. Antonij Mediolani Ædibus, Calendis Aprilis, MDCCII.

APPRO-

APPROBATIONES.

IVſſu Reuerendiſs. P. D. Pauli Leonardelli Præpoſiti Generalis Cleric. Regul. Librum luſtraui, cui titulus: D. Hieronymi Meazza Cler. Reg. &c. Congregationis noſtræ Theologi, Extemporanea Miſcellanea, ſiue &c. & in eo nihil legi diſſonum; immò omnia ad pietatem, & eruditionem ducentia; vndè dignum exiſtimo; ut typis donetur, vtpotè ex eius lectione poſſit, & ingenium, & cor erudiri. Datum Mediolani 1. Octobris 1701.

D. Ioannes Baptiſta Fondra
C. R. S. T. Profeſſor.

DE mandato Reuerendiſs. Patris D. Pauli Leonardelli Cler. Reg. Præpoſiti Generalis, Tomum quartum ex Opuſculis Miſcellaneis R. P. D. Hieronymi Meazza noſtræ Congregationis Theologi emeritiſſimi auidiſſimè perlegi: Demiratus ſum Virum in ipſis quoque otijs feliciſſimum. Clamat Liber ipſe mirâ eâ eruditionum copiâ confectus, vt faciliùs ſit excogitare quod inueniatur, quàm quod non inueniatur. Poeſis, neſcio num magis Academica, num magis Theologica: vno verbo ea, quæ arguta, ea quæ religioſa. Ad literariæ Vniuerſitatis amœnitatem, quantum eſt ex me, lucem petit; ità ingenuè cenſeo die 19. Octobris 1701.

D. Antonius Benaglia Cler. Reg.
Sacræ Theol. Lector.

D. PAU-

D. PAULUS LEONARDELLUS

Clericorum Regularium

PRÆPOSITUS GENERALIS.

HOC Opus inſcriptum, *Miſcellanea Extemporanea, &c.*, à Reu. P. D. Hieronymo Meazza noſtræ Congregationis Theologo compoſitum; &, iuxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum; vt Typis mandetur, quod ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has literas, noſtrâ manu ſubſcriptas, ſolito noſtro ſigillo firmauimus. Romæ die 29. Octobris Anno 1701.

D. Paulus Leonardellus
Præp. Gen. Cler. Reg.

Loco ✠ ſigilli.

D. Ioſeph Maria Trincherius Secret.

Quar-

QVartam hanc Partem ſucciſiui Operis, continentem Extemporanea Miſcellanea, Academica, &c. *Auctore Adm. R. P. D. Hieronymo Meazza Cler. Reg. Theologo, & S. Inquiſitionis Conſultore, &c. peruolui, & expendi; nihilque in tanta rerum copia, & varietate mihi viſum eſt Catholicæ fidei, aut bonis moribus officere poſſe. Immò ſcribere ſe profitetur Auctor ipſe ad DEI gloriam, ad ſalutem animarum, tum ad morum, ac ingeniorum illuſtrationem. Cùm verò tot in vulgatis Lucubrationibus clariſſima ediderit pietatis ſuæ, ac eruditionis argumenta, miſcere pergit grauiorum ſtudiorum fructibus Parnaſſios flores, & affluentes facilis venæ delicias lecturæ Poſteritati propinare. Quamobrem (quantum ad me attinet) prælo digniſſimum Opus diiudico, ac teſtor.*

Ex Collegio S. Alexandri Cal. Decemb. anni 1701.

Ego D. Demetrius Supenſius Cler. Reg. Barnabita pro S. Inquiſitione Mediol. Librorum Cenſor, &c.

IMPRIMATVR.

Fr. Proſper de Leonibus Inquiſitor Generalis Mediolani, &c.

Bartholomæus Craſſus Can. Ord. pro Eminentiſs. D. D. Card. Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſs. Senatu.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

DOnec grauiorum matureſcant ſtudiorum fructus, in quibus iam exortis, conſiderandis adhùc immoror; offero tibi, mi Lector benigne, flores nonnullos, quos ſuccisiuis horis productos, calathis penè dederam, in terram proijciendos; ſed, ex amicorum conſilio, reſumptos tuis exponere oculis debeo. Noui iſtos, non illis ex hortis eſſe, qui hodiernis temporibus quàm diligenter coluntur: ſpecioſos vndique, & odoriferos; varios quidem inſpicies, vndè intuenti minùs diſpliceant: morali ſepè venuſtate ornatos, vt iuuent: acumine aliquo armatos, non vt quenquam offendant; ſed vt plures à vitijs retrahant; plures ad Virtutem extimulent. Eruditio reuerà, tùm ſacra, cùm profana, multùm in iiſdem verſatur; ſed vt è paruo, ac è ruſtico, dixerim, prædio maior à te nobilium rerum, vel actarum, vel agendarum affluentia, velùt gratioſa quædam amœnitas colligatur. Certiorem nihilò tamen minùs te facio: me non tàm ad ſales, & nitorem incubuiſſe, quàm ad animarum ſalutem, animorumque ſplendorem. Ad hoc me Religioſa Profeſſio: ad hoc Christiana charitas: ad hoc ætas vltra ſexagenariam: ad hoc genius mihi à Natura ipſa, aut inditus, aut inſitus vocarunt. Hinc & in noſtra Faticoſorum Mediolani Academia, præcipuorum Virorum laboribus maximè

aucta,

multâ, & pollente; & quam à pluribus luſtris, ex Superiorum iuſſu, dirigo, tametſi alijs curis occupatus, Concionum, audiendis Confeſſionibus præſentia, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultationum, & Librorum Cenſionum, diuerſarumque Scriptionum, nec paucarum, ſi Deus fauerit, pro typis: Hinc, inquam, ſeruis potiſſimùm pertractandis argumentis inbaſi: vt facilè, inter legendum, tecum ipſe perpendes. Habebuntur, ſcio, leuiores hæc Miſcellanea Extemporanea pretij, cùm Opera, hucusque à tot egregijs hominibus edita in lucem, ità valeant; vt vix quicquam noui excellere ſic poſſit, quod ſtudioſos alliciat. Et verè non multa, nunc temporis, rara, tot raris ingenijs in literarum ſolo naſcuntur: præſertim, ſi de huiuſmodi animorum delicijs ſermo ſit. Tot enim Virtute excelſi cum Apolline ipſo conſedere: Muſas ipſas æmulari: in florilegijs ijdem diuerſari videntur: adeò excreuit eloquentia opulentia; vernat elocutionis pompa, venuſtatis ſcribendi luxus abundat. Qualiacunque ſunt, quæ meſſui, velùt in manipulum reddita, præteritis notis Heroum, quibus conſecrantur, titulis; non obſeruatâ inter illos præcedentiâ, aut gradu, ſed cuncta promiscuè, vt in prioribus impreſſis Miſcellaneis, voluntate erga ſingulos nihilominùs ſemper diſtinctè obſequentiſſimâ, defero. Illa non dedigneris, Lector benigne; Cuidam protractiora: cuidam breuiora minùs erunt ingrata: alicui Odæ, Elegiæ, Poëmata, Epigrammata, Problemata: alicui Diſticha, Anagrammata, Prouerbia, Argutiæ pro honeſta animi remiſſione, ſeu quaſi pro intermiſſiarijs horis, vt Tulliano de legibus vtar vocabulo,

cabulo, eſſe poterunt. Nè admireris tùm, ſi in quindecim, nec plures Dauidicos vnà incideris Pſalmos à me verſibus donatos. Decreueram omnes carminibus Paraphraſticè explicare; verùm, cùm ad manus meas venerit Auctor, cuius nomen, vtpotè Poetæ hæretici, ſilentio percurro, omnesque iam inuenerim metro optimo explanatos, illicò manum ſubduxi, in eo inſiſtens ego veſtigia: poſſe illos, ſuppreſſâ impij vatis memoriâ, à reliquis eiusdem Auctoris Opuſculis, acatholico infectis veneno, ſegregari; & tutè poſteà Orthodoxis luminibus, ex Superiorum permiſſione, propinari. Pro tua igitur benignitate, tuoque affectu, quo me, & mea aliàs reſpexiſti, quantumuis exigua, iſthæc etiam reſpice; & in æternum vale.

Ad Patrem D. Hieronymum Meazza
Clericum Regularem,
Sereniſſimi Ducis, & Electoris Bauariæ
Theologum,
Sanctiſſimæ Inquiſitionis Mediolanenſis
Conſultorem, &c.
Nobiliſſimæ Faticoſorum Academiæ
Directorem,
Vatem, & Oratorem celeberrimum;
Cuius
Eloquentia, & Poëſis, ſummo cum plauſu,
experitur in tot ſuis Scriptionibus
Typis, & æternæ Gloriæ demandatis.

EPIGRAMMA.

Carmina, quæ dulci, Vates, modularis auenâ;
Emeritæ laudis digna tributa trahunt.

Eternâ Vatem celebrat te laude Poëſis;
Eloquij celebrant, & tua Scripta Patrem.

Omnibus inſudas, æqualiter omnia factus;
Vt quoque ſit merito laus minor ipſa tuo.

Ergo ſit iſta tuæ Virtutis Gloria: ſemper
Carmine, & Eloquio te ſuperaſſe decus.

In Obſequium, &c. ſcribebat
D. Iacobus Inſula
Academicus Faticoſus.

Patri

Patri D. Hieronymo Meazza
Clerico Regulari
Sanctiſſimæ Inquiſitionis Mediolanenſis
Conſultori, &c.
Sereniſſimi Ducis, & Electoris Bauariæ
Theologo,
Illuſtriſſimæ Faticoſorum Academiæ
Directori, &c.
Viro
in humanis, & ſacris literis
excultiſſimo.

EPIGRAMMA.

Magne, Thienæo qui viuis in Ordine, Miles;
Et decoras meritis inclyta facta tuis.

Omnia, quæ ſpiras, momenta merentur honores;
Nobile ſemper enim tu meditaris Opus.

Omne capis punctum, nam miſces vtile dulci;
Nunc Virtute places: nunc Pietate iuuas.

In ſinceram ſui Obſequij fidem, &c.
Franciſcus Inſula
Academicus Faticoſus.

EX-

EXTEMPORANEA MISCELLANEA:

Siue

SVCCISIVI OPVSCVLI

Pars Quarta.

PSALMUS PRIMUS DAVID Lyrico carmine paraphraſticè explicatus.

ODE.

Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum: & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Viuat, & æternos illuſtret nomine faſtos,
Adſcriptus inter Cælites,
Impia quicunque euitans conſortia, turpes
Reliquit errorum vias:
Virtutemque ſequens, vitiorum fœtidè olentem
Abominatus eſt ſcholam.

Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Dulcia quin potiùs legis mandata ſupernæ
Amore ſummo proſequens,

Peruigil ad ſummi nutus ſe aptare Tonantis
Noctù, dieque perſtitit.

Et erit tanquàm lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Hic velùt arbor erit patulis propè flumina ramis
Comata ſemper frondibus:
Perpetuoque fruens Autumno, dulcia poma
Producet omni tempore.

Et folium eius non defluet; & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.

Oſcula felici libabunt flamine plantæ;
Foliumque nullum defluet:
Quippè, fauente Deo, ſibi cuncta vir ille creata
Seruire gratulabitur.

Non ſic impij, non ſic: ſed tanquàm puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Non ità continget peccantibus, atque proteruis:
Non ità ſceleſtis accidet;
Sed, veluti modicus vehementi turbine puluis
Difflatur, iſti ſic erunt.

Ideò non reſurgent impij in Iudicio: neque peccatores in concilio iuſtorum.

Cùmque reſurgentes radiabunt lumine iuſti;
Non ſic reſurget impius:
Cœtibus & fruſtrà ſe permiſcere piorum
Optabit eiulans miſer.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit.

Nouit enim Dominus, ſua qui veſtigia fidis
Sunt proſecuti greſſibus:
Nouit & illorum, qui in deuia ſpontè ruerunt,
Preſſas ad orcum ſemitas.

De

De pulcherrimo Virginis MARIÆ ſimulacro
ſculpto pario in marmore
In noſtrâ Clericor. Regular. Mediolani ſacrâ Æde
eiuſdem Virginis MARIÆ
Conceptioni Immaculatæ
dicatâ.

DISTICHON.

EST ſimilis viuæ lapis hic, niſi fallor ab arte;
Artificis mouit Virgo vel ipſa manum.

Ad noſtræ Faticoſorum Academiæ
Principem IV. & IX.
IL DISIOSO,
D. Balthaſarem de Roſales
Vailati Comitem, Caſtri Leonis Marchionem,
Roſæ Dominum, &c. Mediolani Quæſtorem,
ab arcano Catholici Monarchæ Conſilio, &c.

OCTASTICHON.

Alluditur ad Gentilitium eius Inſigne
albas præferens Roſas.

VNde Roſas fert ſtemma tuum? tot honora tacebo
Argumenta; mihi ſit tria ferre ſatis.
Hinc, reor, Hyblæi tibi grata Roſaria montis
Candentes præſtent, Balthaſar, haſce Roſas:
Sinceræ quòd amicitiæ ſis candida imago:
Puraque ſint ficto corda colore tua;
Tuque præis alijs, præis vt Roſa floribus alba:
Ingenuusque præis: ingenioque præis.

Ad eundem D. Comitem.

DISTICHON.

ALbas grata Roſas tibi mittens Hybla, Roſales;
Candida ſignificat pectore corda tuo.

De Silentio.

DISTICHON.

Alluditur adagio:
Silentium vbique tutum.

HIc proſit, tacuiſſe; & ibi iuuet eſſe locutum;
Tutum vbicunque fuit ſed tacuiſſe, ferunt.

Ad P. D. Stephanum Homodeum Caſſinenſem meritiſſimum S. Petri in Glaxiate Mediolani Abbatem, *Faticoſum Academicum* L'ASSESTATO, Virum ſapientiâ, & virtutibus moralibus, vt Genere excelſum.

Quarè homo in terris, quacunque in fortuna, inquietus?

DISTICHON.

NVllâ homo cur terra contentus ſorte? quòd, eſſe
Solus ei requies vult ſuper aſtra Deus.

Cuidam

Cuidam adoleſcenti, vt perſeueret bonus, meliorum ſocietas ſuadetur ex Auctoris Aſtrolabij ſenſu.

DISTICHON.

TE meliorem habeas ſocium conſtantèr, amice;
Et bonus indubiè tu mihi ſemper eris.

De Sanctorum Innocentium Martyrio.

DISTICHON.

Alluditur ad Eccleſiæ Romanæ cantum in hymno diei: *Saluete Flores Martyrum.*

SAnguine productos Flores finxere Poetæ;
Sanguinis at verè à Floribus vnda fluit.

SEU

Fabula iam ſileat, naſci de ſanguine Flores:
E Sanctis oritur Floribus immò cruor.

Rex Cambyſes iniuſtum Iudicem decorticari iubet, eiuſque pelle Iudicialem indui ſedem.

DISTICHON.

SI ſpoliauit, ait Rex, Iudex ære clientes,
Hoc reddat: ſedem veſtiat ille cute.

De Poeta Comico, & Tragico.

DISTICHON.

Comicus, & Tragicus tractant contraria: primus
Non niſi læta; alter non niſi mæſta canit.

Ad Sepulchrum Mariæ Annæ Principis Electoralis Bavariæ, &c. nuptæ Galliarum Delphino, &c.

TETRASTICHON.

Regia ſum Neptis: ſum Regis Filia: Coniux*
Regia ſum: nec non Regia ſum Genitrix.
In me ſint quamuis inſignia ſingula Regum,
Hîc æquo calcat me Libitina pede.

**S.R.I. Electores Regibus æquiparantur.*

De tenebris in Chriſti Domini Occaſu.

DISTICHON.

Quid ſunt hæ tenebræ? Lux Mundi offunditur: erro:
Quin inter tenebras emicat illa magis.

In quendam Poetam.

DISTICHON.

Ne mirere, meos ſalibus non eſſe refertos
Verſus; ſed vacuos omnibus eſſe tuos.

Bea-

Beatiſſimæ Virgini MARIÆ fit cordis oblatio ab Auctore.

DISTICHON.

COr tibi ſiſto meum, minimam rem, maxima Virgo;
Tu pretium dono fac, generoſa, meo.

Amico.

DISTICHON.

CVncte, quid oſtentas, quod ſcis? nihil eſſe, memento,
Quidquid ſcire putas, te niſi, amice, ſcias.

D. Ioſepho Ballarino
S. Saluatoris Mediolani Parocho
Faticoſo Academico
IL LEGGIERO
mentis prudentis, & doctæ:
in Poeſi verò, tàm Italicâ, quàm Latinâ excellentis.

Humana Vita nauigatio.

DISTICHON.

Eſt mare mundus: homo nauis: ſpes anchora: amor lex:
Temo fides: ventus Gratia: nauta Deus.

Quid ſit plurium terrenorum bonorum poſſeſſio ?

DISTICHON.

AVdi multarum quid ſit poſſeſſio *rerum:*
Eſt poſſeſſoris paſſio *multa ſui.*

Actus heroicus propter Deum.

DISTICHON.

DEſpicio quæcunque mihi bona contulit Orbis ;
Dummodò te ſolum Numen habere queam ;

De quodam filio in genitorum ſuorum obitu.

DISTICHON.

NOn deſiderio mæret, vel amore parentum ;
Quòd minimæ aſt hæres manſerit ille rei.

Rutilius Poeta Gentilis, ex contemptu,
in ſuo Itinerario,
Monachos appellans lucifugas, redarguitur.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Sapientiæ 3. 7.
Fulgebunt iuſti, &c.

LVcifugas monachos vocat ethnicus; at benè; ſæcli
Cùm fugiant lucem; luce micentque Dei.

Lux

Lux è Cælo in S. CAROLI Borromæi Natali.

DISTICHON.

NE ſtupeas Caroli cunas cum lumine: clarum
Demonſtrare diem fulgidus ortus habet.

De amicitia.

DISTICHON.

NOn aurum eſt totum, quod terræ ſplendet in Orbe;
Nec ſplendens vera eſt omnis amicitia.

De nimio, & contra conſcientiam affectu teſtatorum erga ſuos conſanguineos.

DISTICHON.

IMpietas, odiſſe ſuos eſt magna: ſed iſtâ eſt,
Supra animam propriam, maior, amare ſuos.

AD IESUM.

DISTICHON.

INuitas, vt amem te? num tibi debeo amorem,
Propter me? cordi plus tibi, quàm mihi, ſum.

Amico rationem reddit Auctor, quarè multa ſpiritualia carmine propinet?

DISTICHON.

DVlcitèr inſtillant animo pietatis amorem
Verſus: haud rarò verſibus indè loquor.

Ad hominem de morte ſemper cogitandâ.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Senecæ Philoſophi moral. ep. 26. *Semper diſcendum eſt, quod, an ſciamus, experiri non poſſumus.*

MOrs ſemper diſcenda, quod eſt, vice ſolâ, obeunda
Nì ſemper diſcas, vix moriere benè.

Veræ hominis de Deo Philoſophia exponitur

TETRASTICHO.

VTpotè ſumma, Deus, ſapientia præſidet in te,
A nullo falli, vel Sapiente, potes.
Summa quòd es verò Bonitas, oſtendis apertè:
Nulla à te falli poſſe creata Deo.

In quandam illuſtrem mulierem nimiùm vagam.

DISTICHON.

ERras, per plenas curru errans ſæpè plateas:
Laus eſt Matronæ pulchra, latère domi.

De

PSALMUS SECUNDUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Quarè fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania?

CVr turbas agitant, cur populi ferâ
Coniurant rabie? cur ſcelus horridum
Infando vnanimes concilio ſtruunt?
Sed verè irrita cogitant.

Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.

In caſſum populis Regia peſſimis
Iunguntur capita, & brachia Principum
Aduersùs Dominum; & quem diademate
Chriſtum inſignijt aureo.

Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

Frangamus, blaterant, vincla grauiſſima
Quæ nobis miſeris hic Deus indidit;
Illiusque iugum non tolerabile
Noſtræ disijciant manus.

Qui habitat in Cælis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.

Sed qui tàm ſtolidam concipiunt opus,
Riſu hos ludifico deſpiciet Deus;
Inſanumq; hominum conſilium arduo
Subſannabit ab Æthere.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.

Rex

Rex autem populis iam datus inclytus
Chriſtus, ſic rigidis arguet impios
Verbis; & gelido conficiet metu,
Ore, ac luminibus minax.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius:

Ius Regale mihi, ò improba germina,
Plenumque Imperium calitùs obtigit;
Illuſtremque Sion montis in edito
Fixi vertice Regiam.

Prædicans præceptum eius.

Hinc, vobis etiam vi renuentibus,
Me Doctore, Dei lex noua prodiens
Omnem, quanta patet latè, habitabilem
Terram ſubijciet mihi.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodiè genui te.

Sum Verbum Domini, ſum ſoboles Dei,
Eiuſdem penitùs cum Patre roboris,
Naturaque ſimul, Filius vnicus
Æterno genitus die.

Et quamuis hominem me pietas mea,
Decretum Patris fecerit Optimi;
Non mutata tamen, nec minimùm quidem,
Hoc facto Deitas fuit.

Poſtula à mè, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Gentes, & populi ſunt mea portio,
Nam ſublime hominum ſum caput omnium:
Terraque, ac marium ſunt mihi traditi
Omnes à Patre termini.

Reges eos in virga ferrea: & tanquàm vas figuli confringes eos.

Noui, quis dubitet? noui Ego perfidos
Virgâ percutiens ſternere ferreâ;
Et poſſum meritos illicò perdere
Sicùt vas luteum artifex.

Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.

Audite, ac vigili mente recondite
Reges, quæ moneo, meque paueſcite;
Et vos iuſtitiâ vindice ſæpiùs
Vſi tàm malè iudices.

Seruite Domino in timore; & exultate ei cum tremore.

Supra vos Dominus, qui regit omnia,
Eſt; illi obſequium reddite debitum;
Illiusque timor, gaudia temperans,
Vobis aſſideat comes.

Apprehendite diſciplinam, nè quando iraſcatur Dominus; & pereatis de via iuſta.

Rectis, quæ facitis, pendite lancibus,
Cautique, ac memores, quàm Deus oderit
Peccantes Proceres; iuſta ſequamini,
Nè eius vos furor obruat.

Cùm exarſerit in breui ira eius: beati omnes, qui confidunt in eo.

O dignos triplici tempora cingere
Lauro! qui faciem Numinis vltimâ
Securi aſpicient fulmineam die
Nullo crimine territi.

Amico de frenanda lingua conſilium.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Prouerb. 10.
In multiloquio non deerit peccatum.

MVltis, ſi taceas, culpis tua lingua carebit;
Quas ſibi lingua loquax agglomerare ſolet.

Ad Beatiſſimam Virginem MARIAM.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Pſalmi 18. 6.
In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.
Quod de Deipara explanatur à Sancto Thoma de Villanoua, Concione 1. de Annunc. B.V. M.

QVid ſibi vult, in Sole ſuum poſuiſſe Sedile
Numen? Virginei eſt clara Figura ſinûs.

De ratione, & ſenſu.

DISTICHON.

IVs ſeruat ratio: ratio niſi iuſta gubernet
Hinc ſenſum; ſenſus nullibi iuſtus erit.

De Echo,

DISTICHON.

QVis neget? ars operoſa poteſt miracula: in Echo,
En lapides mutos, ad mea iuſſa loqui.

An-

Auctor
Ab Infernali igne, & Diuini Amoris flamma
hinc indè ſolicitatus.

TETRASTICHON.

IGnis Auernalis me terret; Amoris & ignis
Me trahit Ætherei: flamma vtriusque iuuat.
Inter vtramq; facem, quam diligo? vtramq; ſaluem
Nam iuuat hæc multùm; nec iuuat illa parùm.

Ad Sanctam Dorotheam Virginem, & Martyrem,
quæ pomis Doctorem eximium
IESU Chriſto lucri fecit.

DISTICHON.

SAga Poli es? pomis, pueri queis nanq; trahuntur,
Doctrinâ celebres tu trahis ecce Viros!

DE EODEM ALIUD.

IN pomis Virgo quid nì prudentior Euâ?
Perdidit iſta Virum: liberat illa Virum.

In

In compatientem peccanti nimiùm; immò, qui & vocabat huiuſmodi hominem fortunatum.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Pſalmi 72. 18. *Deieciſti eos, dum alleuarentur*, nec non ad Claudianum libro 1. in Ruffinum,

PEccantemne putas felicem? ſurgit in altum,
Delapſu, infelix, vt grauiore ruat.

S. Auguſtinus Sanctæ Rom. Eccleſiæ Doctor, vbi ad Chriſti vulnera, & Deiparæ vbera vocatur, ſubdit:

Quò me vertam? neſcio:
Hinc paſcor à vulnere: hinc lactor ab vbere.

DISTICHON.

NEc lac Virgineum, nec Chriſti ſugo cruorem:
Quò me conuertam? neſcio: vtrinque beor.

In adulationis amantem.

DISTICHON.

SIt niſi adulator, tu non cognoſcis amicum:
Ergo in amicitia non potes eſſe mea.

Maxi-

Maximâ cruciatus calamitate
conſolationem ex morte deſumit.

DISTICHON.

VIuus agor turbis: in morte quieſcere ſpero:
Siſyphius labor eſt, vita; quieſue, mori.

Occaſione Sententiæ Eccleſiaſtici 33. 20.
Filio, & mulieri, fratri, & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua: & non dederis alij poſſeſſionem tuam: nè fortè non pæniteat te; & depreceris pro illis, &c. meliùs eſt enim, vt filij tui te rogent; quàm, te reſpicere in manus filiorum tuorum.

DISTICHON.

NE te pæniteat, nulli poſſeſſio danda eſt:
Conſulo, nè rogites, ſed rogitere, tibi.

Reſpiciens ad humanas miſerias ſuper ea
Iobi verba 7. 7.
Memento, quia ventus eſt vita mea.
Oedipo ventoſo
Sphinx demiſſa.

DISTICHON.

VEntus es: in ſuperos ſpirare ſit, Oedipe, finis
Cum medio; ſine quo, finis abyſſus erit.

Patri D. Ioſepho Mariæ Thomaſio,
Clerico Regulari
Genere, doctrinâ, Virtutibus,
ſcriptisque non paucis eruditis libris
celebri:
modeſtiâ ſuâ ſingulari,
celeberrimo.

De Ciuitate Romæ,
quam Seneca in conſolatione ad Heluiam cap. 6.
Communem Patriam appellat.

DISTICHON.

PAtria communis *meruit ſe Roma vocari*;
Illi, non Urbis *Nomen, at* Orbis *erit*.

In quendam Pedagogum
nimis multa ab adoleſcente aliquo exquirentem.

DISTICHON.

QVi legit Autumno fructus, in Vereque flores,
Commiſſi cultor prouidus audit agri.

D. Ioſepho Meazza fratri dilectiſſimo,

De eius æterna ſalute conſilium.

DISTICHON.

QVæ velles, moriens, feciſſe; vel ante Tribunal
Chriſti ferre, modò fac bona: ſaluus eris.

D. Lu-

D. Ludouico Muratorio
Academico Faticoſo
IL NEGHITTOSO,
Ambroſianæ Mediolanenſis Bibliothecæ Doctori,
tùm Mutinenſis Ducis, &c. Bibliothecario
Viro
inter cæteros ſuos ſplendores
Græcis literis
perquàm inſtructo.

De *Aratore* S. R. E. Cardinali
celebri Vate,
Qui Acta Apoſtolorum Heroicis verſibus prompſit:
eaque Summo Pontifici Vigilio inſcribens,
mirificè decoratus eſt.

DISTICHON.

P*Vrpurei etſi præſtet* Arator *honore Senatûs;*
Plùs, quia præſtantem carmine, Fama canit.

ALIUD DE EODEM.

P*Vrpureos inter Proceres numerare Poetam*
Fortè ſtupes? ſtupor at creſcet, Arator *erat.*

Ad illuſtrem Virum, humilitatis ergò, abditum.

DISTICHON.

T*E licèt abſcondas, inſignia Nobilis extant:*
Arguitur vultu Nobile quippè Genus.
Ex Ouidio 2. Faſtorum.

De quodam Oratore, cæteroquin egregio; ſed vitijs corrupto.

DISTICHON.

Alluditur ad Marci Tulij Ciceronis definitionem: *Orator eſt Vir bonus, dicendi peritus.*

SIt Caius Vir dicendi, concedo, peritus;
Debet at Orator Vir ſimul eſſe bonus.

ALIUD DE EODEM.

VEl benè declamet Mellanthon; ſed malè viuit:
Sit bonus Orator; non bonus ille Vir eſt.

Ad quendam acerbis ſauciatum curis, hincque, in iuuentutis penè flore, vndique canum.

DISTICHON.

Alluditur ad Homeri verſum in Odyſſea lib. 19. *Quippè repentè homines curisq;, malisq; ſeneſcunt.*

UNdè hæc canities præcox in flore iuuentæ?
Audio te curis, te ſenuiſſe malis.

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS TERTIUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? multi inſurgunt aduersùm me.

HEu! quot infeſtis inimica telis
Agmina inſurgunt; aciemque quantam
Inſtruunt hoſtes numero carentes
In mea damna!

Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo eius.

Hunc Deus noſtris manibus reliquit,
Inquiunt; ergo aggrediamur illum:
Tela certatim in caput execrandum
Conijciamus.

Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Falſa ſed mendax ſibi fingit hoſtis:
Tu Deus tutor mihi bella vincis:
Tu triumphali mihi ſemper ornas
Tempora lauro.

Voce mea ad Dominum clamaui; & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Vix tuas venit mea vox ad aures,
Cùm ſtatim pugnæ auxilium paratum
Senſi, & à ſummo mihi deuolantes
Axe phalanges.

Ego dormiui, & ſoporatus ſum.

Languidus mæſtos oculos timentis
Clauſerat torpor: ſed amica Cæli
Vocibus lætis pepulere triſtem
Agmina ſomnum.

Et exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

Illicò ſurrexi, alacrique vultu
Sæpè dixi lætus: io triumphe,
Adiuuat nos Numen: io triumphe,
Vicimus hoſtes.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge, Domine, ſaluum me fac, Deus meus.

Mille me turmis, cuneiſque mille
Orcus inuadat, nihil hinc timebo,
Dum ſalutaris tua me tuetur
Dextera, Numen.

Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa; dentes peccatorum contriuiſti.

Ipſa percuſſas mihi proterendas
Belluas ſubdit ſtygias; & vngues
Detrahens illis, paritèrque dentes,
Dat mihi ludo.

Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

Te Deus clemens, miſeri potentem
Vindicem experti venerantur omnes;
Ac tuo fidus populus beari
Sperat ab ore.

Primum hominis ſeptennium cur *infantia* appelletur?

DISTICHON.

H*Inc ætas hominis prior eſt* infantia *dicta,*
Ille quòd hoc fari tempore vix valeat.

Ad

Ad D. Petrum Marchionem Iſimbardum
ex arcano Catholicæ Maieſtatis Conſilio , &c.
Academicum Faticoſum
IL PACIFICO.

TETRASTICHON.

ES pius: es ſapiens: generoſus es vnus, & idem;
Sic perfectus es; vt Vir videare triplex.
O! ſi Diogenes homines reperiret in vno
Tres modò, quid ferret nobilis ille ſophus?

De quadam coniuge ſemper dulcem ſe exhibente, quanuis à marito plurimùm vexatâ.

DISTICHON.

ESt blandæ citharæ ſimilis: reſpondet amicè,
Irritata licèt percutiente manu.

In Chymicum quendam ineptum.

DISTICHON.

CHymice, quid facis? ex nihilo Deus omnia fecit;
Tu mirâ nihil ex omnibus arte facis?

Quot modis tentet gula?

TETRASTICHON,

In quo oſtenditur ex Opuſc. 10. part. 1. cap. 3.
Sancti Petri Cæleſtini Papæ V.
& P.P. Cæleſtinorum Patris
omnium Virtutum laude celeberrimi;
abſtinentiâ verò à cibo incomparabilis:
quinque modis à gula hominem ſeduci.

Callida quinq; modis hominem gula decipit: vrget,
Tempus vt anticipet: multa vel vnus edat:
Delicioſos vt comedat: vel delicioſè
Conditos: auido vel voret ore cibos.

Ad Deum in MARIÆ Virginis ſinu mitem.

DISTICHON.

Virginis in gremio Deus es manſuetus, vt Agnus
Agnum an te potiùs Rhinocerota vocem?

Ad illud Iobi 17. 14.
Putredini dixi: Pater meus es: mater mea,
& ſoror mea vermibus.

DISTICHON.

Dico tibi, putredo, meus pater es: tibi, vermis,
Tu mea vera parens: tu mea vera ſoror.

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

SI meus eſt putredo pater, ſi mater, & vnà
Eſt ſoror, & frater vermis; ego quid ero?

Vix S. Sabbas Abbas Orationi ſuæ lacrymas addit, cadunt è Cælo pluuiæ, aridamque terram madefaciunt.

DISTICHON.

VT Sabbæ vultus lacrymis fluit, exit in imbres
Axis; &, exemplo Præſulis, arua rigat.

In dicentem illud Eccleſiaſtici 5. 4. *Peccaui, & quid mihi triſte accidit?* adhibetur, & Valerij maximi ſententia, quæ eſt: *lento gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira.*

DISTICHON.

PEccaui: nil triſte fero, poſt crimina, iactas?
Lento, *ſcito*, Dei *quod* venit ira gradu.

Ex Sancto Auguſtino,
Oratio iuſti eſt clauis Cæli.

DISTICHON.

EMpyrei clauis iuſti eſt Oratio: diſce,
Quomodò tu poſſis clauiger eſſe Poli.

Sano

ſano amico de eius bonis temporalibus conſilium.

DISTICHON.

NE bona, quò viuis, cedas hæredibus: iſtis
Vt tu non egeas; iſti egeantque tui.

Afferente quodam Doctore Phyſico S. Gregorij Papæ hom. 34. in Euangelia, quin & communem Interpretationem, Quod *Raphael* vox, ſonet *Medicina Dei*, De Medicorum multitudiue ſiſtitur Problema.

DISTICHON.

ÆGrotat Mundus: Medicorum Copia proſit.
Ambigo, vel noceat? die, Medicina Dei?

Ad Sanctum Raphaelem Archangelum, Auctoris preces.

DISTICHON.

ESt Raphael Medicina Dei: *meus hac eget æquè*
Spiritus, & corpus: ſanet vtrumque, rogo.

In iuuenem malè contentum, quòd *piger* appellatur.

DISTICHON.

Alluditur ad Portugalliæ animal, quod, ex maxima lentitudine, dicitur *Pigritia*.

Iure doles, quia te vocitat vicinia pigrum:
Te vocet illa tuo Nomine, Pigritiam.

Catholica Mater Eccleſia in die omnium Sanctorum, & Commemorationis omnium Defunctorum, quomodò ſe variet?

DISTICHON.

Mœret, heri gaudens Eccleſia? ſorte ſuorum
Gnatorum variâ, eſt læta, dolensque parens.

Aliud morale de eodem.

Sponſa Dei exultans, cur mœſta repentè nigreſcit?
Lætitiæ extremum lacryma ſemper habet.

Optanti multa bona facere, ſi poſſet.

DISTICHON.

Cum deſint vires, Cælis eſt grata voluntas:
Hac eſt contentus qui videt ima Deus.

Ex Ouidio l. 3. de Ponto Eleg. 4.

Ad

Ad curioſum circa Beatorum indumentum in Paradiſo.

DISTICHON DOCTRINALE.

EN, qua veſte Beatus erit veſtitus in Axe:
Lumine: Numen ibi quo beat omnem hominem.

Aliud Concionatorium de eodem,

SCire cupis, qualis Sanctos exornet amictus?
Purpura, & albeſcens eſt in honore color.

De anima, corpore, cæteriſque hominum ſubſtantijs.

DISTICHON.

THeſauros, animas hominum, concede tot eſſe
Tu mihi: cedo tibi, nil, reliquum eſſe hominum.

Super dictum S. Apoſtoli Iacobi, epiſtolâ Canonicâ c. 3.

Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare poteſt.

DISTICHON.

SErpentes, volucreſq; feras homo comprimit arte;
Ars hominis linguam nulla domare poteſt.

S. Dio-

S. Dionyſius Areopagita
ex tenebris, quę factę ſunt ſuper vniuerſam terram,
vt Matthæi 27. 45.
arguit, Naturæ Dominum mori.

DISTICHON.

NAtura, hac cuinam caligine tecta parentat?
Auctorem noſcit Fata ſubire ſuum.

Alicui, per Fiſcum, ob Patris culpam, omnibus Fortunæ bonis priuato compatitur Auctor.

DISTICHON.

PEccauit genitor, ſpoliantur pignora fiſco:
Ob culpam alterius, ſors miſeranda! pati.

Tangente organum Sanctâ Cæciliâ
Virgine, & Martyre,
Angelus cantat.

DISTICHON.

ORgana dum Virgo pulſat, canit Angelus: Orbis
Tunc non Roma Caput; *ſed Paradiſus erat.*

PSAL-

Digitized by Google

PSALMUS QUARTUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Cum inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti me.

O Certum miſeris præſidium, Deus!
Te ſupplex querulis vocibus inuocans,
Patronum celerem iuſtitiæ meæ
Senſi: &, cùm triplici dura neceſſitas
Me vallo premeret, tunc tua dextera
Me læto ſtatuit magnificè in loco.

Miſerere mei: & exaudi orationem meam.

Sic, ò perpetuò me pietas tua,
Mi Numen, foueat! Sic gemitus meos,
Quandocunq; malis vrgeor, audias.

Filij hominum, vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

At vos, ò nimiâ duritie graues
Cæci terrigenæ quandiù inania,
Summo poſthabito Numine, gaudia
Mundi diligitis, falſaque ſcrupula?

Et ſcitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.

Orbis iam geminis Axibus arbitrum
Rex Regum Dominus lege adamantinâ
Chriſtum magnificans conſtituit ſuum.
Hunc, hunc, ſi ſapitis, vos modò ſupplices
Placate obſequijs, hunc veneremini:
Hunc votis quotiès indigus ambij,
Pro votis totiès me Deus audijt.

Ira-

Iraſcimini, & nolite peccare: quę dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Ah! tandèm ingenuus præteriti pudor
Nunc veſtros animos, iraque nobilis
Accendat ſemel, ut propè Tartara
Peccatum eijciens, regnet ibi ſuas.
Nec vos intereà deſipientiam
Cordis tàm ſtolidam, nè pigeat crebris
Secreto in thalamo plangere lacrymis.

Sacrificate Sacrificium iuſtitiæ: & ſperate in Domino.

Rectis quin etiam iuſtitiæ actibus
Acceptam Domino ſæpiùs Hoſtiam
Offerte; ut veniæ ſpes bona fulgeat.

Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

Sed multos fatuis vocibus audio
Dicentes temerè: quis bona, quæ ſuis
Det Numen famulis, quis precor, indicat?
O expertes ſolidæ mentis homunculos!

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine; dediſti lætitiam in corde meo.

Illam lætitiam, qua benè conſcia
Mens gaudet, ſupero lumine perfruens,
Illiusque pijs ductibus obſequens,
Quàm ſit grande bonum, quis ſatis æſtimet!

A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.

Seruata innumeris clauibus horrea
Frumenti, ac olei, vinaque nectari
Quæ certent, habeant, qui cupiunt ſibi.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.

Quantò his eſt opibus ditior omnibus
Dulcis pax animi! quam ſtabilis quies,
Et ſomnus placidus conſequitur comes!

Quo-

Quoniam tu, Domine ſingularitèr in ſpe conſtituiſti me.

O talis thalamus ſit mihi iugitèr!
In quo te, Domine, æternaque gaudia
Spe certâ opperiar. Turris ahenea
Spes iſta eſt mihi, qua me Deus vnicè
Contra multiplices protegis impetus.

Catholico viro admodùm afflicto animus inſinuatur.

DISTICHON.

Eſt leue, quod pateris: graue, quo ſuper aſtra fruèris:
Immenſum Cæli Gloria pondus habet.

Ad amicum aliquem.

DISTICHON.

Alluditur ad S. Auguſtini de amicitia definitionem: *Amicitiam eſſe inter duos eam voluntatum ſocietatem; vt nihil velit vnus, quod nolit alter, &c.*

QVod nolo, vis: quod volo, non vis: ergo voluntas
Si non eſt eadem, nec ſtat amicitia.

Occurrit Auctori viuiſſima IESV Crucem geſtantis, & Cruci affixi imago.

DISTICHON.

In Cruce, ſub Cruce dum meditor te, Chriſte, dolētem:
Neſcio an in Cruce; vel ſub Cruce plùs doleas.

De

De nigro colore.

DISTICHON.

Eſt nigredo color, qui viſum congregat: illa
Funeris, & mentis congregat intuitum.

Interroganti, quid ſit hodiernum Ius in Mundo.

DISTICHON.

Non breuiore tibi verbo queo dicere, quid ſit
Ius *hodiè: quod ſit* Vis, *Anagramma docet.*

Per ignaros Apoſtolos à IESU Chriſto electos vniuerſi terrarum Orbis ſapientes ad veram Fidem conuertuntur.

DISTICHON.

Eligit indoctos Chriſtus, doctosque lucratur:
Gratia, diſce, Dei quàm ſit in Orbe potens!

ALIUD DE EODEM.

Eligit indoctos Deus; vt ſapientia Mundi
Subditam Apoſtolici ſe ſciat eſſe pedis.

Immaculata Virgo MARIA in Templo pręſentata, ſingulos ſtatim Templi gradus conſcendit.

DISTICHON.

Virgo triennis adit Templum; ſimilisq; Columbæ,
Ictu oculi, ad ſummos aduolat illa gradus.

Filio immoderatè dolenti,
ſpoliatam per Fiſcum familiam ſuam,
pro Genitoris delictis.

DISTICHON.

PArce, luat Patris crimen domus integra: culpam
Cùm luat ex nobis quiſque Parentis Adam.

Ex Diui Apoſtoli Pauli teſtimonio
erat Athenis Ara inſcripta: *Ignoto Deo.*

DISTICHON.

IGnoto *cur Ara* Deo *ſeruatur Athenis?*
Græca fidesne Dei cognitione caret?

ALIUD DE EODEM.

PAule fer: & quis erat Deus *hic* ignotus *Athenis?*
Ah! ſcio: qui ingratos, notus vbique, latet.

Ad D. Eudemium Caſtillionæum
Cæſareum Comitem Palatinum,
Caſtillioni Archipresbyterum,
Iuris vtriusque Conſultum Collegiatum Mediolani,
plurimarum Virtutum Dignitate inclytum,
& Faticoſorum Academiæ, pleno ex animo,
fauentem.

An, ſi Adam non peccaſſet,
homines fuiſſent immortales?

DISTICHON.

NI peccaſset Adam, mortem cùm crimina gignant,
Nullus homo in terris interiturus erat.

In

In ignaros
putantes, aliquando licitum eſſe mentiri.

DISTICHON.

Nos nunquàm proferre licet mendacia: quarè?
Non verum vero diſplicet omne Deo.

ALIUD DE EODEM.

Semper erunt odioſa Deo mendacia vero;
Si verum noceat pandere, diſſimula.

De Auro.

DISTICHON.

Exprimitur illud Horatij Carm. 3. in auaros, Ode 24.
Aurum ſummi materiam mali,

Anne boni, anne mali, quæris, mage cauſa ſit aurũ?
Materia hoc ſummi dicitur eſſe *mali.*

Ad Sanctum Thomam Aquinatem
pictum cum Sole in pectore.

DISTICHON.

Pectore quid lucem Solis fers? temnis auitam?
Temne: humilem te Sol cominùs ecce ſtupet,

ALIUD DE EODEM.

Cur Solem Thomas in pectore geſtat Aquinas?
Vt nihil obſcurum candidus Ordo ferat.

In mulierem oculis nimis vagantem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Ieremiæ Prophetæ 9. 21.
Aſcendit mors per feneſtras.

FOemina, claude oculos; aditum per lumina pandit
Mors animæ; & Cœli manticulatur opes.

Ad DEI Genitricem MARIAM Auctor.

DISTICHON.

PEr te, Virgo, meam, peccator, ſpero ſalutem:
Vt miſer à leni diuite ſperat opem.

An, Principem callere literas oporteat?

DISTICHON.

OPportuna docet præcepta ſcientia Regem:
Hæc ſi deficiat, Rex reget vnde ſuos?

Ad IESV Chriſti dictum, Lucæ 4. 24.
Nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua.

DISTICHON.

IN Patria acceptus cur nemo Propheta? ruinas,
Veraque prædicens, res odioſa nimis.

ALIUD

Digitized by Google

ALIUD DE EODEM.

ACceptus propria in Patria cur nemo Propheta?
Nam ſolet inuidiæ hîc ſemper adeſse ſcopus.

Sancto Carolo S. R. E. Cardinali, & Mediolanenſi Archiepiſcopo exorienti flammea lux fulget.

DISTICHON.

NAſcitur in terris cæleſtis ciuis; vt illum
Monſtrent, feſtiuis ignibus aſtra flagrant.

An roſa, à creatione, fuerit abſque ſpinis?

DISTICHON.

Præterquàm quod talis eſt mens S. Baſilij, S. Io. Damaſceni, & S. Ambroſij in Hexameronem, Alluditur ad illud dictum à Deo ad Adamum: *Spinas, & tribulos germinabit tibi, &c. Gen. 3. 17.*

SPinas, & tribulos tellus ignara fuiſset
Edere; ſi pomum non ſatiaſset Adam.

Auctoris Spes in Diuina Miſericordia.

DISTICHON.

TArtara ſæua furant: fremat aer: aſtra minentur:
Spes mea ſtat conſtans in pietate Dei.

Digitized by Google

Quo idiomate, poſt corporum Reſurrectionem, verba faciant in Cælis Beati?

DISTICHON.

Scire cupis, qua voce Deus laudetur in Axe?
Inſula te Patmos prodigioſa docet.

ALIUD DE EODEM.

Quo ſermone, petis, ſuper aſtra loquemur? Hebræa
Vox Alleluia eſt, qua ſonat Aula Poli.

De quodam Iuris perito Viro probo, cui fuerat compromiſſa cauſa; nec eum cliens equo donauit, vt aduerſarius eius ſocium iudicantem pro illo iniuſtè.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum Bulgari Doctoris Bononienſis, qui Federico Barbaroſſæ, vt Imperatori, denegans in Vniuerſum Orbem Dominium, equum non habuit; quem idem Imperator alteri Doctori, Martino appellato, atque oppoſitum aſſerenti largitus eſt.

Planè amiſit equum, velùt alter Bulgarus; æquũ
Dixit vbi Doctor, perdidit æquus equum.

PSAL.

PSALMUS QUINTUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Verba mea auribus percipe, Domine: intellige clamorem meum.

PRonis, mi Deus, auribus,
Quas imo eliciens pectore profero
Voces percipe ſupplices:
Clamoremq; meum, qui potes, intimis
In cordis tabulis lege.

Intende voci orationis meæ: Rex meus, & Deus meus.

Te Regem fateor, te veneror Deum:
Vtroque hoc titulo pius
Orantem famulum, tu, precor, audias:
Tu mentis iubar vnicum
Omnis principium luminis, ad tuas
Cunctos qui euigilant fores
Summo mane, libens aſpicis, & beas.
Hoc hoc te, Deus optime,
Orans conueniam tempore; votaq;
A te tunc mea conſequar.

Manè aſtabo tibi, & videbo:

Manè adſtabo tibi, manè recondita,
Quantum fas homini, & licet,
Inſpectabo tuæ arcana potentiæ.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Cernam, quomodò tu mala
Non vis, ſed probibes; & patiens tamen
In Mundo toleras, Deus:

Ipſis immò malis ad bona prouidus
Miris artibus vteris.

Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Cernam iuſtitiæ fulmina vindicis,
Quæ Cælo eÿcit improbos:
Talem nanque locus, qui tua Regia eſt,
Nullum ſuſtinet incolam:
Et, quæ viſa beat facies tua,
Nulli panditur impio.

Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Summè exoſa tibi eſt omnis iniquitas,
Cùm ſis, mi Deus, Æquitas.
Summè inuiſa eſt quoque perfida falſitas,
Cùm ſis, tu Bone, Veritas:
Hinc omnes meritò falſiloquos rogis
Perdes in ſtygÿs viros:

Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.

Et qui ſanguinem amant, quiq; dolos ſtruunt,
Omnes tu, Domine, execrans,
Percuſſos parili fulmine punies.

Introibo in domum tuam: adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.

Has peſtes animi, tuâ
Declinans ope ego, ter venerabiles
Ædes, quas Deus incolis,
Audebo pauidis ſcandere greſſibus;
Perfuſusque ſacro metu
Templi auguſta tui limina comprimam.

Domine deduc me in iuſtitiâ tua: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam.

Adiu-

Adiutrice tuâ interim
Dextrâ perpetuò ſic regar, obſecro,
Nè tranſuerſus ab orbitis
Flectar iuſtitiæ; quas mihi liuidâ
In caſſum rabie fremens
Prædo tartareus nequitèr obſidet.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.

Lucem, à qua ſemel improbis
Defecit ſtudijs ille tenebrio,
Odit nunc quoque ſpiritus,
Vanè inflexibili corde ſuperbiens.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant.

Nec tabes ità fœtidas
Exhalant tumuli, ſicut ab horrido
Eius pectore prodeunt
Blaſphema in Dominum continuò probra,
Humanum inque Genus doli.

Iudica illos Deus: decidant à cogitationibus ſuis, ſecundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te, Domine.

Sed tu peſtiferum Principem, & aſſeclas
Iuſtâ, magne Deus, manu,
Tu plectas mage, quò corde procaciùs
Illi perdita cogitant;
Et te multiplici crimine prouocant.

Et lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt; & habitabis in eis.

Tunc omnes famuli tui
Te extollent hilares, quòd benè credulâ
Spe nixi fuerint tibi;
Tuque his perpetui fons eris intimo
Manans pectore gaudij.

Et

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt Nomen tuum: quoniam tu benedices iuſto.

Tunc toto reſonis Empyrei choris
Tu laudabere amantium,
Quòd iuſtos foueas, quòdq; perennibus
Tandèm illos cumules bonis.

Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ, coronaſti nos.

Et nos, vt clypeo tecti adamantino,
Fidæ, ò Numen, opis tuæ
Plaudemus paritèr cantibus æmulis.

D. Carolo de Verme Bobbij Comiti, &c. compto mentis, & voluntatis gratijs Equiti, qui ſæpè noſtram Faticoſorum Academiam ſuâ ſe præſentiâ colere oſtendit.

De Lauretanæ Domûs è Palæſtina in Picenum translatione.

DISTICHON.

E *Terra Sancta Italicum transfertur in Orbem*
Lauretana Domus: ſanctiùs vt maneat.

DE EODEM ALIUD.

VT *Diuina Domus, tua Iura, Eccleſia, ſeruet,*
Demigrat; inque tuo ſiſtitur illa ſolo.

In

Digitized by Google

In quendam obloquutum aduerſùs Auctoris amicum, virum integerrimum.

DISTICHON.

Alluditur ad Pythagoræ Symbolum:
Contra Solem ne loquaris.

TV contra Solem loqueris, *cùm geſta Sodalis*
Offuſcare audes, lingua maligna, mei.

Ad D. Ioſephum Vicecomitem
Metropolitanæ olim Eccleſiæ Canonicum Ordin.
Sanguinis, & morum claritate ſplendentem,
à pluribus luſtris,
noſtræ Faticoſorum Academiæ
acceptiſſimum Cæremoniarum Magiſtrum.

Quarè in quibuſdam antiquis picturis
Sanctus Petrus Chriſti Vicarius ad ſiniſtram,
& Sanctus Paulus Apoſtolus ad dexteram
videatur?

DISTICHON.

P*Aulo dextra, ſiniſtra Petro? cur? pro fide an ille*
Plùs fecit, docuit, ſcripſit; an ille minùs?

ALIUD DE EODEM.

C*Vr Petrus ad læuam Pauli? priùs hoc mihi ſolue;*
Cur Patris ad dextram Chriſtus in Axe ſedet?

In nonnullos obmurmurantes,
quòd Religioſi aliqui ſuis laudibus
non aduerſarentur.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Marci Tullij Cic.
pro Archia Poeta:
Trahimur omnes laudis ſtudio: & optimus quiſq; maximè gloriâ ducitur.

Eſt laudis ſtudium velùt hamus, qui trahit omnes:
Ducit & inſignes gloria clara Viros.

De Rege Salomone
an ſaluus ſit, an ex reprobis?

DISTICHON.

Aſtra tenes Salomon? vel ab igne teneris Auerni?
Te peccaſſe lego: pœnituiſſe lego?

Ad conciuem, de Sampſone,
qui ex Libro Iudicum c. 15. trecentas in Palæſtina
vulpes pro incendendis meſſibus collegiſſe
ſcribitur.

DISTICHON.

Non miror, vulpes ibi collegiſſe trecentas;
Non vnâ plures colligi in Vrbe queunt.

DE EODEM ALIUD.

Colligit vrendâ vulpes pro meſſe trecentas
Sampſon: vt Regnum conflagret, vna ſat eſt.

Ad Tutelarem Angelum
Auctoris preces.

DISTICHON.

Alluditur ad Sanctæ Franciſcæ Romanæ
Angelum.

Angele, me ſancto Franciſca more guberna:
Illuſtra mentem: corrige: plecte: rege.

In quendam vulgò ſomniatorem.

DISTICHON.

Alluditur ad Poeticum Homeri inuentum, qui finxit per duas ianuas intrare ad nos ſomnia: ſcilicèt vera per corneam; per eburneam falſa; quod ſecutus etiam eſt Virgilius 6. Æneidos.

Vera ego, vt oſtentas, te ſomnia voluere credam;
Si caput exornet cornea porta tuum.

Ad Patrem Fr. Antonium Seraphinum Meazza
ſacri P.P. Prædicatorum Ordinis Magiſtrum,
Conſobrinum mihi gratiſſimum:
vel magis,
quòd doctrinâ, & charitate Dei,
erga animarum ſalutem totus ſit.

An Sanctus Longinus,
antequàm Chriſti latus lanceâ aperuit,
corporeo fuerit captus lumine;
an in ſpiritualibus tantùm excæcatus?

DISTICHON.

ANne videns, vel cæcus erat Longinus? inanis
Corporis haud oculis; cordis inanis erat.

DE EODEM ALIUD.

LOnginus non cæcus erat; tenebroſus at aer:
Cùmque aperit Solem, lumine plenus abit.

Quarè idem S. Longinus dictus cæcus,
cùm non fuerit? vt tenet Cardinalis Baronius
tomo I. Anno Chriſti 34.

DISTICHON.

CVr cæcum narrant Longinum? diſce fidelis:
Infert qui Chriſto vulnera, cæcus hic eſt.

An idem S. Longinus dextrum, vel ſiniſtrum
Chriſti latus transfixit?
ex Diuo nanque Bernardo habetur ſerm. 7.
in Pſal. *Qui habitat.*
Dexterum ſibi Chriſtus propter me paſſus eſt latus fodi.

Sanctus ipſe Longinus.

DISTICHON.

AN fuerit dextrum latus, aut, ignoro, ſiniſtrum:
Lumine cæcus eram, menteque cæcus eram.

De eodem argumento aliud,
in quo vrgetur Longinus.

FIxiſtine latus dextrum, aut, Longine, ſiniſtrum?
Fixi vbi iuſtorum chara locanda phalanx.

Sanctus Damaſus Papa
triplici cum corona ad pedes pictus.

DISTICHON.

COnuenit, vt Papa, quamuis Tibi trina corona:
Vt bonus es, ſapiens, atque Poeta, datur.

Alicui malè contento de Aulæ promiſſis.

DISTICHON.

QVotidiè ſpe deciperis fruſtratus ab Aula?
Quàm res, ſpes donat ſæpiùs Aula, ſcias.

PSAL-

PSALMUS SEXTUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Domine, nè in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

FVlmina deponas Deus, obſecro, quæ furore iuſto
In criminoſos iam vibranda libras.
Meq; reum ante pedes tibi ſtratum corde palpitante,
Benignus, irâ corrigas remotâ.

Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Aſpice, quàm multis languoribus opprimor, meiq;
Miſertus, oro, durus eſſe noli;
Mæſto quin potiùs trepidanti, teque deprecanti,
Clemens ſalutem redde concupitam.

Et anima mea turbata eſt valdè; ſed tu, Domine, vſquequò.

Oſſa timor gelidus percurrit, vixque contueri
Vultum audeo tuum, ò tremende Iudex.
Quò tandèm vſq; ſupercilium, Deus, indues ſeuerũ?
Quò vſque frontem contrahes minacem?

Conuertere, Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Denique placatus conuertere; ſpiritumq; mortis
Meum propinquæ ſubtrahas periclis:
Sitque tuæ magnæ pietatis gloria, & trophæum
Salus clienti parta te inuocanti.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Nemo, nemo tuum, qui morti traditur perenni,
Vitale nomen inuocabit vltrà.
Nemo, nemo tuis, ſtygiæ quem vinciunt catenæ,
Linguam ſceleſtam laudibus reſoluet.

Laboraui in gemitu meo: lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Hæc ego per noctes meditabor; lacymisq; lectum
Mei reatûs conſcium rigabo.
Quemq; libidinibus probroſis, cædibusque ſæuis
Heu! inquinaui, fletibus lauabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Si Cælum intueor, me Numinis ira prouocati
Terret; ſoloq; deycit trementem;
Si circum aſpicio, inſultantes cerno vultu acerbo,
Qui me ſub antiquo tenent iugo hoſtes.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletûs mei:

Sed iam confuſi diſcedite peſſimi, omniumque
Fabri malorum ſpiritus rebelles.
Non mihi non vltrà inſultabitis: ecce pœnitentes
Meos recepit Numen corde fletus.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Iamque fauens precibus ſubſcripſit; iamq; vota cle-(mens
Admiſit, annuitq; poſtulatis:
Annuit, vt vinclis confractis exuam meorum
Captiuitatem criminum vetuſtam.

Erubeſcant, & conturbentur vehementèr omnes inimici mei: conuertantur, & erubeſcant valdè velocitèr.

Proripite hinc igitur vos hoſtes, meq; poſſidendi
Spe devoluti, cum rubore abite:
Præcipitate fugam pudefacti; uſq; ad infernorum
Specus, citatis greſſibus, referte.

In Senecam, qui in Hercule furente, tragœd. 1. actu 2. canit:

Quemcunque miſerum videris, hominem ſcias:
Quemcunque fortem videris, miſerum neges.

DISTICHON.

VIs ut homo quicunque miſer ſit? quomodò fortis
Hic erit ergo? poteſt fortis an eſſe miſer?

Ad illud Adagium.

Maturè fias ſenex, ſi diu velis eſſe ſenex.

DISTICHON.

MAturè diuturnus ſis, diuturnior ut ſis:
Non ætate diù, ſis volo mente ſenex.

Ad IESUM Chriſtum ſpinis coronatum.

DISTICHON.

INter tot ſpinas non quærere oportet acumen
Carminis: his potiùs pectora fige mihi.

De eodem Redemptore ſpinis redimito.

DISTICHON.

Alluditur ad illud S. Marci 4., & S. Lucæ 8. Euang.
Aliud cecidit inter ſpinas, &c.

SI in ſpinas Verbum Diuinum decidit vnquam;
Nunc, ſine translato, decidit inter eas.

De Hiſtoricis, & Poetis reſpondetur amico.

DISTICHON.

CVr, ais, Hiſtorici decertant, atque Poetæ?
illis nulla; iſtis fictio multa placet.

D. Galeatio Vicecomiti
Iuris Conſulto Collegiato Mediolani,
Ex Comitibus Lonati Pucheoli,
Sommæ condominis, &c.
hodiè S. Philippi Nerij Congregationem
pietate, & doctrinâ magis, magiſq; illuſtranti.

An Deiparæ Angelus Cuſtos,
vt cæteris mortalibus, fuit aſſignatus in ortu?
Nonnullius opinio,
Quod MARIA Virgo non habuerit Angelum
Tutelarem.

DISTICHON.

REgina Cæli cuſtos datus Angelus? Ah! non:
Angelici Cuſtos Ordinis Illa fuit.

Aliud de eodem Argumento.

VIrginis haud cuſtos fuit vnitus Angelus: Illi
Cœli tota cohors obſequioſa fuit.

Aliud de eodem.
Ex communi Patrum, & ſacrorum Theologorum opinione Beatiſſima Virgo Angelum Tutelarem habuit, vt reliqui homines.

VIrginis an Cuſtos fuit Ales? ſcripta fatentur;
Illius at cuſtos Angelus omnis erat.

De perpetuis antiquorum lucernis intra ſepulchra.

DISTICHON.

USus erat veterum, tumulis inferre lucernas:
Quærebant homines morene Diogenis?

Pauper ſuperbus.

DISTICHON.

ABſurdum nimis eſt, miſerum ſimul eſſe ſuperbũ:
Vt turpe eſt, ſtellam ſe putet eſſe vapor.

De

Digitized by Google

De eodem aliud, in ſuperbum ipſum.

SOrte humili natus, quid in altũ aſcendere tentas?
Stellula de vili ſtructa vapore cades.

Sancto Protho Martyre
Inſulam Herculis, vulgò *linariam*, incolente,
noxiæ feræ manſueſcunt omnes.

DISTICHON.

INſula tu Protho, non clarior Hercule; purgat
A feritate feras, non necat ille feras.

DE EODEM ALIUD.

In quo Tyrannus Prothum vexans pungitur.

PRotho habitante, feræ miteſcunt: Præſes in illũ
Miteſcit? magis eſt ah! ferus iſte feris.

De animarum apud inferos, vel in Purgatorio
combuſtione.

DISTICHON.

Inſiſtitur Sancti Auguſtini ſententiæ dicentis
libro 21. de Ciuitate Dei, cap. 10.
Ibi uri animas veris, licèt miris modis.

QVomodò comburunt animas incendia? in illas
Miris, ſed veris *fax agit æqua* modis.

Digitized by Google

De Vulgo, Etymologia.

DISTICHON.

QVod ſe ſe aſſiduo voluatur turbine Vulgus:
Hinc opportunum Nomen, & Omen habet.

An meliùs ſit, oculos, & aures habere; an non habere?

DISTICHON.

SVnt opera Altiſoni perfecta: quis audeat ergo
Auribus, aut oculis ſe mutilare ſuis?

DE EODEM ALIUD.

AN meliùs ſit habere oculos, aureſque? carere
Aut vtriſque? ſuo tempore vtrumq; tene.

Cùm decumbit B. Io: Angelus ſacri Ordinis Seruorum Beatæ Virginis Mariæ ex febri in lecto, accurrunt Angeli, vt aſſiſtant.

DISTICHON.

ANgelicos cætus veniſſe ſtupetis ad ægrum?
Angelus ægrotans, nè ſtupeatis, erat.

Qui

Quis ex Principibus felix?

DISTICHON.

Legatur S. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei. c. 24.

NOn ille eſt Princeps felix, qui creditur; at qui,
Ex Auguſtini ſenſibus, eſſe ſtudet.

De titulo *Vigilantiſſimi*, qui tribui ſolet Animarum Paſtoribus.

DISTICHON.

CVr quicunque praeeſt, ſolet affectare decorem
Ter vigilantis? eo qui caret, is nihil eſt.

Super illud Eccleſiaſtici c. 10. 11.
Omnis Potentatûs breuis vita, &c.

DISTICHON.

VIta Potentatûs omnis cur per breuis? *ut ſit*
Reddendâ breuior de ratione labor.

DE EODEM ALIUD.

VNde Potentatûs omnis breue viuere? *curis,*
Deliciiſque breuis vita ſit; immò volans.

Digitized by Google

De S. Ambroſij Medioſanenſis Antiſtitis zelo, & Theodoſij Imperatoris humilitate.

DISTICHON.

CÆſar, an Ambroſius maior? demiſſio ſumma
illi: zelus huic maximus: ambo pares.

De hodierno mulierum imperio ſupra viros contra illud Geneſis 3. 16. vbi habetur: *Sub viri poteſtate eris; & ipſe dominabitur tibi, &c.*

DISTICHON.

SVbdita facta viro mulier cur imperat illi?
Mutatus rerum, hoc tempore, an ordo fuit?

Sancto Æmiliano Presbytero lyram pulſanti IESUS Chriſtus accurrit.

DISTICHON.

ORpheus Euridicem citharâ non traxit ab Orco;
Noſter myſta lyrâ traxit ab Axe Deum,

De innocenti muliere ſeptiès percuſsâ; de qua S. Hieronymus epiſt. 7. lib. 3. ad Innocentium.

DISTICHON.

ICta vices ſeptem non vllâ in parte feritur
Fæmina: ſeptuplici labe carere patet.

S. An-

Digitized by Google

S. Andreas Apoſtolus non permittit,
ſe è Cruce deponi.

DISTICHON.

ABnuit Andreas rigido deſcendere ligno;
Diſcipulus Chriſti vult quoque Fata Crucis,

DE EODEM ALIUD.

DE Cruce deponi Andreas cur, quæſo, recuſat?
Nè propius Cælis ille relinquat iter.

Non deficit Sanctus Paulus Apoſtolus
à Virtutis perfectione,
quamuis in pluribus epiſtolis ſuis ſe laudet.

DISTICHON.

SE laudat Paulus perfectus in omnibus? omnis
Laudis meta ſuæ gloria ſola Dei eſt.

Ad caluum ex ſenectute.

DISTICHON.

DIſplicet hoc ſine crine caput: ſine frondibus arbor
Monſtrat, quod ſit hyems; morsq; propinqua tibi.

PSAL-

PSALMUS SEPTIMUS DAVID
Lyrico carmine paraphraſticè explicatus.

ODE.

Domine Deus meus in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

ASpice, ut hoſtili premor undiq; ab agmine, Numen;
Iamque vibratis impetor armis.
Tu ſpes una, Deus, cuius fortiſſima Turris,
Eſt Nomen; mihi protinùs adſis.
Eripe ſemianimem inſectantibus, oro: tuique
Nominis arce tuere receptum.

Nè quando rapiat, ut leo, animam meam: dum non eſt, qui redimat, neque qui ſaluum faciat.

Nec me ſæuorum permittas eſſe leonum
Prædam, in me dentes acuentûm.
Nève ſinas, illi procul hoc me limine captent,
Nullus ubi ſuccurrere poſſit.

Domine Deus meus, ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Crimina multa mihi obijciunt mendacitèr hoſtes,
Ut procul iſto expellar aſylo.
Sed tu, magne Deus, cui cuncta arcana pateſcunt,
Si me ſcis iſtis maculatum:

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Si ad ſcelera extendiſſe manus; ſi damna nocenti;
Scis æqualia me retuliſſe:
Redde meos meritò coram ipſis hoſtibus omnes
Conatus vacuos, & inanes.

Per-

Perſequatur inimicus animam meam; & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.

Nec fuga me ſeruet: fugiens comprehendar ab illis,
Atque ſuperbo me pede calcent;
Et quæcunque meum illuſtrauit gloria Nomen,
Pulueris inſtar, ſordida fiat;
Verùm, ſi falſos diro liuentia felle
Ora mihi impoſuere reatus:

Exurge, Domine, in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Tu vindex exurge, Deus, linguasq; malignas
Fulmine diſcerpens metuendo;
Iuſtitiæ memoranda tuæ defige trophæa,
Quæ terrori ſint ſceleratis.

Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto, quod mandaſti; & ſynagoga populorum circumdabit me.

Hoc Deus ipſe iubes, inſontes ipſe tuendos
Præcipis, hoc ipſum mihi præſta.
Plauſibus hinc meritis populorum denſa corona
Te ambiet, ac iuſtum celebrabit.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.

Gratáque ſubiectas ſolio dum ſpectat ab alto
Maieſtas rapiet tua gentes;
Quæ te incorrupto gaudebunt Iudice; teq;
Patronum miſeri experientur.

Iudica me, Domine, ſecundùm iuſtitiam meam; & ſecundùm innocentiam meam ſuper me.

Me queq; me, Domine, implorantē admitte benignus
Ante ſacrum, integrumque tribunal:
Iuſtitiamque meam, vacuumq; à crimine pectus
Iudicio teſtare ſupremo.

Con-

Conſummetur nequitia peccatorum; & diriges
iuſtum: ſcrutans corda, & renes Deus.

Sic diſperdetur, te condemnante, malorum
Nequitia; & conſumpta peribit.
Sic mage ſincero virtus candore micabit,
Sub te Iudice corda vidente.

Iuſtum adiutorium meum à Domino: qui ſaluos facit rectos corde.

Tunc ego cantabo grato pæane ſalutem,
Quam mihi dextra tulit tua, Numen.
Tunc ego narrabo, quantum tu diligis omnes,
Qui recto te corde requirunt;
At vos, qui lentam peccando Numinis iram
Pergitis irritare, timete.

Deus Iudex iuſtus, fortis, & patiens: nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

Mitis hic, & patiens Deus eſt, ſed denique fortis
Eſt Iudex, vltorque ſeuerus.
Anne minas tantùm ſemper, ſemperque putatis
Iram tantùm oſtendet inanem?

Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit: & parauit illum.

O vos ter miſeros! niſi feſtinanter ad illum,
Conuerſo redeatis amore.
Fulmineum gladium ſtrinxit iam, arcumq; tetendit
Cornibus adductis violentum.

Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Vaſaque ſunt mortis non eluctabilis illa,
Quæ dimittit ſpicula neruus:
Ambit enim rapidas fatalis flamma ſagittas
Igne necem, ferroque ferentes.
Vos tamen in veſtram vos procudiſtis iniqui
Perniciem hæc lethalia tela.

Ecce

Ecce parturijt iniuſtitiam: concepit dolorem; & peperit iniquitatem.

Vipereo partu, quo matrem pignora rumpunt,
Vos veſtrum exitium peperiſtis.
Semina peccati vobis concepta dolorem,
Denique mortem exorta tulerunt.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.

Struxiſtis foueas alijs, ipſique ſepulti
Veſtris in foueis perijſtis.

Conuertetur dolor eius in caput eius; & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Impia conatu torſiſtis tela ſuperbo
In Cœlum, peccando, ſceleſti:
Veſtra retorquentur nunc ſpicula, veſtraque iuſto
Iudicio vos crimina plectunt.

Confitebor Domino ſecundùm iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini Altiſſimi.

Hos ego, magne Deus, metuendos vindicis iræ
Effectus cæleſtis adorans;
Iuſtitiam exaltabo tuam, dicamque canoro
Æternas tibi carmine laudes.

De Beatiſsima Virgine MARIA, ad mortales.

MARIA
Anagramma.
AMARI.

DISTICHON.

Virgo quòd à nobis ſemper deberet AMARI,
Verbo Anagrammatico dicta MARIA fuit.

Obten-

Obtentâ à Saladino Ægypti Domino
Sanctiſſimâ Euchariſtiâ in pignus,
dimittitur S. Ludouicus Galliarum Rex
captiuus detentus;
qui, magnâ tùm auri ſolutâ ſummâ,
eandem Sanctiſſimam Euchariſtiam redemit.

TETRASTICHON.

Fert Saladinus, eat liber Rex Gallus, Ieſum
Si det hic in pignus: liber abitque, dato.
Mox multo redimit Ieſum Rex inclytus auro:
Seruat vterque fidem pro ſua vterq; fide.

De eodem Argumento Problema.

TETRASTICHON.

Plùs, Lodouice, fides Saladini mira videtur:
Non ità mira tui, Rex mihi parce, fides.
Ob Chriſtum Turcæ tu credis; at aſſecla Chriſti es:
Ob Chriſtum credit, Turca ſed ille, tibi.

D. Caſimiro Freſchot
Academico Faticoſo
IL FVLMINATO,
religioſiſsimo, & doctiſsimo Sacerdoti.

Num viri plures, an fœminæ ſaluentur?

DISTICHON.

Fœmineus, mariuſne petat numeroſior ordo
Sydera, ſcire cupis? qui ſcit amare magis.

De

De eodem aliud apertius.

Fœmineus petat, an marium numeroſior Axem
Grex, vis ſcire? magis qui ſolet eſſe pius.

Trium Darij Perſiæ Regis Aulicorum deciſio:
3. Eſdræ 3.
Quodnam eſſet in terrarum Orbe fortius?

DISTICHON.

Non aurum, non Rex, non Fœmina prævalet; iſtis
Fortius eſt Verum: quod ſuper omne valet.

Ad Sanctiſsimam Genitricem Dei Mariam, pro aliqua indigentia preces.

DISTICHON.

Cælorum Regina potens, ſuccurre miſello:
Filius omnipotens nil tibi, Virgo, negat.

De eodem argumento aliud.

Virgo mihi ſuccurre; potes ſuccurrere egenti:
Nam Te pro nobis omnia poſſe docent.

De libris hæreticis, impuris, & ſimilibus.

DISTICHON.

Libros hæreticos, inhoneſtos, & malè ſcriptos,
Pro luce, exurens non niſi flamma decet.

Maho-

Mahometes falſus Turcarum Propheta à canibus poſt mortem ex parte dilaniatus.

DISTICHON.

A Mahomete fuit lacerata Eccleſia viuo:
Mortuus à canibus dilaceratus erit.

De eodem aliud in Mahometum.

VIs alijs, tibi & eſſe nequis, Mahomete, Propheta?
Nec ſcis, à canibus quod lacerandus eris?

Ad D. Maximum Scarabellum
Faticoſum Academicum
IL RIPERCOSSO
clariſsimis etiam mentis radijs coruſcantem.

De Sampſonis fortitudine in capillis ſitâ, vt Iudicum 16.

DISTICHON.

HInc diuina pilis tantum ſapientia robur
Fixit; vt huic homines fidere inane ſciant.

Herodiadis inceſtuoſæ audacia pro decollatione Sancti Ioannis Baptiſtæ, ex ſaltatricis filiæ occaſione.

DISTICHON.

QVàm fugienda Venus! rapit ecce cor impia Regũ,
Et caput Heroum mox pede, moxque labro.

DE

DE EODEM ALIUD.

AVla odit verum; probroſa libido pudorem:
Verax, & caſtus propter vtramque perit.

De Pſalmis à Rege Dauid carmine compoſitis.

DISTICHON.

CArminibus celebrare ſuis, fidibusque canoris
Collaudare Deum, gloria Regis erat.

In quendam, culpam ſuam negantem, ſimulque erubeſcentem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Eccleſiaſtici 19. 26.
Ex viſu cognoſcitur vir.

NE crimen feciſſe neges: cognoſcitur errans
Ex viſu: facies monſtrat aperta virum.

De Simone Romæ volante, ex vi magicâ; atque S. Petri Apoſtoli oratione in præceps acto.
De illo in Neronis Vita Suetonius c. 2. & S. Io. Chryſoſtomus orat. 20. ſcribunt.

DISTICHON.

ARte Poetarum ſis, Icare, fabula; Simon
At Virtute Petri ſit magus Hiſtoria.

De eiuſdem magi temeritate aliud.

QVa Simon magus arte volat? qua? dæmonis: indè
In ſtyga, quando audax fertur ad aſtra, cadit.

In aliquem perpetuò querentem,
quòd præſentia tempora ſint peiora prioribus.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Ecclesiaſtici. 1. 10.
Nihil ſub Sole nouum.

VIrtutem, vitiumque ſcias conſtantèr in Orbe:
Nilque ſub antiquo Sole nitere nouum.

In alium, ſuper ea verba Eccleſiaſtis 7. 17.
Noli eſſe iuſtus multùm.

DISTICHON.

ESſe nimis iuſtus noli, ſi vis benè iuſtus
Eſſe: vel iniuſtus, non homo iuſtus, eris.

Homo.

DISTICHON.

ESt homo flos, folium, fænum, cinis, atq; fauilla,
Bulla tumens, fugiens vmbra, volansq; vapor.

PSAL-

PSALMUS OCTAUUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Domine Dominus noſter.

O Magne Rector, quem Dominum colit
Tellus, & Æther; quidquid & ambitu
Vaſto vtriusque continetur,
Suppliciter venerans adorat.

Quàm admirabile eſt Nomen tuum in vniuerſa terra!

Quàm grande miris perſonat vndique
In Orbe Nomen prodigijs tuum!
Quibus potentiæ ſupremæ
Te Dominum radijs reuelas!

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper Cælos.

Tuam rotantes Ætheris axibus
Teſtantur Orbes magnificentiam,
Quos efficacis mentis vno
Imperio ex nihilo euocaſti.
Te mente cæcâ, te tamen impij
Plures negantes, turpiter aſſerunt,
Hæc facta caſu; & nullum in Orbe
Eſſe Deum reputant ſcelesti.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.

Tu, propter iſtos, ora tenerrima
Infantium, ipſo matris ab vbere,
In laudibus tuis reſoluens,
Sacrilega hoſtibus ora claudis.

Ut deſtruas inimicum, & vltorem.

Sic innocenti voce rebellibus
Infers pauorem; ſic puerilibus
Vagitibus proſtras carentes
Religione homines cruentos.
Verùm fideli mens mea gaudio
Geſtis recenſent artificis tua
Tot ſigna dextræ, quot micanti
Sparſa Polo numerantur aſtra.

Quoniam videbo Cælos tuos, opera digitorum tuorum: Lunam, & Stellas, quæ tu fundaſti.

Hæc, te fauente, hæc ſpero propinquiùs
Cælo receptus denique cernere;
Opuſque tantum tunc videndo,
Attonitam ſatiabo mentem.
Spectabo Cælorum ampla volumina:
Spectabo Solem, luminis aurei
Fontem perennem, ſyderumque,
Quas cita Luna regit choreas.

Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Quid eſt, quid, oro, vilis homuncio,
Mi Numen, illi vt tanta paraueris?
Illumque; filioſque tanto
Vſque adeò foueas amore?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Illi minorem vix minùs Angelis
Tuæ dediſti mentis imaginem:
Illi coronam, Regiumque
Sceptrum operum tribuis tuorum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius; oues, & boues vniuerſas: inſuper, & pecora campi:

Volu-

Volucres Cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Quæcumque terram, quæ mare, & aerem
Producta replent à te animantia
Seruire cuncta, & cuncta iuſſus
Promptè hominum facere imperaſti.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt Nomen tuum in vniuerſa terra!

O dulce Numen! perpetuis homo
Te proſequatur laudibus; & tuum
Mirabile vniuerſa ſemper
Terra canat, celebretque Nomen.

Sancti Thomæ Aquinatis ad ſororem Reſponſio circa id, quod cupiat.

DISTICHON.

QVid cupiam, vis ſcire? meis, ſoror, vnicus ardor
Hic deſiderijs eſt: ſine labe mori.

Coercetur alicuius ciuis querela de multis Patriæ ſuæ malis.

DISTICHON.

In quo, ex Biantis ſententia, omnia malis redundare, aſſeritur.

NE mirere, malis tua ſit Prouincia ſparſa:
Cuncta malorum ſunt plena: nec illa vides?

De eodem Argumento aliud.

NOſtra mala à priſco ſunt prouenientia malo:
Malæ donec erunt, & mala ſemper erunt.

Ad Patrem D. Antonium Ancharanum
Clericum Regularem,
laudatiſsimum
in noſtro S. Antonij Mediolani Collegio
Sacræ Theologiæ Lectorem;
Vincentiæ mox
noſtræ Sancti Stephani Domûs
Præpoſitum,
Virum moribus cultiſsimis excultum.

Quomodò explicetur illud Iudicum 9. 13.
Vinum lætificat Deum, & homines.

TETRASTICHON.

LÆtificet vinum mortales, antè ſciebam;
Quo pacto ſed habet lætificare Deum?
Fortè, quòd in vino verum eſt? ſimiliq; ſupremum
E vero Verum gaudia mente capit?

De eodem Argumento

DISTICHON.

SI Conſecratum exhibeant Altaria vinum;
Lætificatque homines, lætificatque Deum.

Ad

Digitized by Google

Ad pauperrimum militem,
in ſuæ fortitudinis argumentum,
à ſe peracta, pectore magnanimo,
prælia enarrantem.

DISTICHON.

VT mihi te fortem eſſe probes, nè bella recenſe;
Te puto ſat fortem, ſi miſer eſſe potes. *

* *Ex Martialis Epig.*

Super illud Pſalmi 102. 5.
Renouabitur, vt Aquilæ, iuuentus tua,
ſcribit S. Ambroſius, Aquilam ſolas pennas
renouare.

DISTICHON,
Quo Auctor renouationem ſuam à Deo poſcit.

NOn modò in externis mea ſit renouata iuuentus;
Tota & in internis ſit renouata, Deus.

DE EODEM ALIUD.

ALes non renouat niſi plumas Regius: omnem
Me renoua: totus nam tuus eſſe volo.

Fabula de Ioanne VIII, quod fœmina fuerit,
ex Cardinalis Baronij Annalibus,
Chriſti anno 879.

DISTICHON.

PApiſſam, qui Papa fuit, cur fabula finxit?
Vir ſexu, euaſit fœmina, mente leuis.

DE EODEM ALIUD.

VT diſtinguatur, Papiſtam fabula finxit,
Quis ſapit inter nos, quiſue ſit inſipiens.

Maximæ ſpei Iuueni
D. Iacobo Antonio Sannazario
Iuris vtriusque Doctori Papię Collegiatō,
nepoti meo ex ſorore dulciſsimo.

Quarè Diabolus
1. D. Petri epiſtolâ *Leo:*
12. Apocalypſis *Draco*; ac
27. Iſaiæ, immò & 12. Apoc. *Serpens* appellatur?

DISTICHON.

CVr Leo? cur Draco *dæmoniũ*, Serpensq; *vocatur?*
Serpens *arte*: Leo *robore*: & *ore* Draco *eſt*.

Super illud Ioſue 10. 14.
Stet itaque Sol in medio Cæli: non fuit anteà, nec poſteà tàm longa dies.

DISTICHON.

IN medio Cæli ſtat Phœbus: Ioſue iuſſit:
Nulla fuit, nec erit tàm diuturna dies.

DE EODEM ALIUD.

STante fuit iam Sole dies diuturnior omni?
Quàm magis æternus ſed diuturnus erit?

De

De aceto, quod Chriſto in Cruce porrexerunt Iudæi.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum S. Anſelmi in Dialogo Paſsionis Dominicæ: *Currens vnus, implens ſpongiam aceto; & circumponens haſtæ, dabat ei bibere; vt citiùs moreretur.*

VOs amor, an liuor mouet, vt potetis aceto
Vitam? habet hæc celerem potio ferre necem.

DE EODEM ALIUD.

ACriùs in ligno Deus vt moreretur, acetum
Iudæi ſiccis exhibuere labris.

Reſponſio Mariæ pijſsimæ Scotorum Reginæ ad præcipuum hæreticum, qui eidem ſuadebat: vt Crucifixi Domini imaginem deponeret: ſatiſque eſſe, eam corde geſtare.

DISTICHON.

NOn mihi ſat reputo, Crucifixum corde tenere:
Hunc manus immò tenet, nè cor eo careat.

DE EODEM ALIUD.

ABſit, vt occultem ſummi geſtamen honoris:
Sum potiùs ſceptrum, quàm poſitura Crucem.

De

De Abraham Patriarcha rogante coniugem ſuam, cùm in Ægyptum peregrinaretur, vt diceret, ſe eius ſororem eſſe. *Geneſis* 12.

DISTICHON.

Sara ſoror? ſunt iſta, ſenex, mendacia: non ſunt:
Pende Allegoricum, *non genus* Hiſtoricum.
Ex Origene Hom. 6. in Geneſim.

Quidam nuptias omnes recuſans, ſe defendit.

DISTICHON.

Foemina me peperit; ſed nè me fœmina perdat,
Fœdera fœminei ſunt fugienda thori.

In alios ſemper dicere paratus redarguitur ex Prouerbio à Græcis ſumpto.

DISTICHON.

Vlceribus plenus cunctis vis ferre medelam:
Es medicus? morbis ſis medicina tuis.

Quàm multùm Beatiſsimæ Virgini teneatur Auctor, euulgat.

DISTICHON.

Totum me tibi, poſt Numen, pia debeo Virgo:
Per te ſum ſanus corpore, mente potens.

PSAL-

PSALMUS NONUS DAVID Carmine Elegiaco paraphraſticè explicatus.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

TOto corde tibi ſoluam, Deus òptime, grates;
Et pandam ſæclis omnia mira tua.

Lætabor, & exultabo in te: pſallam Nomini tuo, Altiſsime.

Exultans in te, lætabor tutus: honori
Supremi Domini carmina læta canam.

In conuertendo inimicum meum retrorsùm: infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

Hoſtis nempè mihi trepido conuerſus acerbus
Eſt virtute tuâ; terga deditque fugæ.

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.

Cauſam quando meam tua vis iuſtiſſima ſumpſit,
Facta mihi iudex, præſidiumque reo.

Increpaſti gentes, & perijt impius: nomen eorum deleſti in æternùm, & in ſæculum ſæculi.

Terruit hæc gentes: perijt ſimul impius: ipſum
Nomen in æternis condidit vlta plagis.

Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum deſtruxiſti.

Sic cecidere minæ hoſtiles; vireſque, iubente
Te, ſunt deiectæ: cuncta ſepulta ſilent.

Perijt memoria eorum cum ſonitu: & Dominus in æternùm permanet.

Parauit in iudicio thronum ſuum: & ipſe iudicabit

dicabit Orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.

Mortua cum ſonitu victorum eſt fama: perennat
Cum Domino Domini iuſtitiaq; thronus.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

Sic Deus Omnipotens miſeris eſt factus aſylum:
Hos opportuno tempore ſemper amans.

Et ſperent in te, qui nouerunt Nomen tuum: quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.

Qui nouere tuum morem, propria, Deus, in te
Argumenta ſpei maxima iure locant.

Pſallite Domino, qui habitat in Sion: annunciate inter gentes ſtudia eius.

Ergo Sion Dominum cuſtodem pſallite gentes:
Ferte, in eo viguit quàm ſtudioſus amor.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: non eſt oblitus clamorem pauperum.

Sanguinis innocui pœnam expetit: atq; querelas
Audit; clamantis pauperis eſtque memor.

Miſerere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

Nunc miſerere mei: qui tot perpeſſus ab hoſte,
Ad nihilum, iaceo, penè redactus, humi.

Qui exaltas me de portis mortis; vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Ereptum mortis me portis transfer ad illas
Vitæ: fac vt ibi te quoque laude feram.

Exultabo in Salutari tuo:
Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt:
In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.

Inque Salutari exultabo tuo: quia, per ſe,
Exitio gentes interiere ſuo.

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

Iudicis æqua Dei vindicta! inductor ab ipſa
Fraude, paratâ aliis, prenditur ecce ſuâ!

Conuertantur peccatores in Infernum: omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum.

In Phlegetonta cadat ſic peccans: Numinis omnem
Immemorem rapiat ſic inopina dies.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Pauper at in Domino nixus non excidat huius
Mente; nec illius ſpes violata gemat.

Exurge, Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conſpectu tuo.

Surge Deus: nec homo creſcat vi: legibus æquis,
In conſpectu hominem comprime quemque tuo.

Conſtitue, Domine, legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt.

Conſtituas cuiuis homini ius: nullus ab iſto
Exceptus ſit: homo ſe ſciat eſſe hominem.
Agnoſcatque timens ſortem, qua ſubditur: eſtque
Æternùm proprio vinctus vbique Deo.

DIAPSALMA.

Pſalmus X. ſecundùm Hebræos.

Ut quid, Domine, receſſiſti longè: deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

VT quid, Numen amans, procul abſceſſiſſe videris?
Rebus in aduerſis negligis ergo tuos?

In

Digitized by Google

In te fac, vt ij, rogo, Numen amabile, ſperent,
Quos ferit anxietas, quos premit impietas.

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſilijs, quibus cogitant.

Impius, vt tumidum caput erigit, ardet ab æſtu
Illicò deceptus feruidiore miſer.
Attamen à proprijs capiuntur retibus illi,
Improbitas quorum pectora cæca rapit.

Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicitur.

Et quia peccator ſe laudat, & explet iniquum
Velle ſuum: laudes hinc & iniquus habet.

Exacerbauit Dominum peccator; ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.

Idcircò tantam Dominum peccator in iram
Vrget; vt in flammas ferueat ira furens.
Se tamen abſcondunt aliquando Tonantis in imo
Flammæ; at maioris ſigna furoris erunt.
Scilicèt ira Dei magna eſt, cùm terret iniquos;
Ira ſed eſt in eos maxima, quando ſilet.

Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

Infelix peccans! aſt infelicior omni,
A cuius mentis lumine Numen abeſt.
Huic peccatori, quouis fit tempore fœda
Vita, quòd in vitijs creſcat, & eſſe velit.

Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

E regione Deus tali non ampliùs adſtat
Iudex: æquè huius non memor, atq; ſui eſt.
Nil ideò timet vlciſci ſe de hoſtibus: audax
Non horret Nemeſi tradere eoſque truci.

Dixit enim in corde ſuo: non mouebor à generatione in generationem ſine malo.

Cre-

Creditis iſta ſatis? blaſphemum audite: moueri
Se non poſſe canit, cuncta mouente Deo.

Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua eius labor, & dolor.

Eius amaritie, maledictis, fraude, doloque
Ora ſcatent; eius lingua cuique nocet.

Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentem.

Tectus in inſidijs ſedet; extremiſque tenebris
Iniuſtus iuſtum contumulare ſtudet.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.

Lumina ſunt illi in miſerum: ceu ſæuus in antro
Stat leo, manſuetæ qui inſidiatur oui.

Inſidiatur, vt rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.

Pauperibus ſtruit inſidias: infamis eoſdem
Proditor ad laqueum, decipulaſque trahit.

In laqueo ſuo humiliabit eum: inclinabit ſe, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.

Stultus at in laqueum cadit ipſe; Deoq; volente,
Pauperem vbi capit, pauper ibi capitur.

Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus: auertit faciem ſuam, nè videat in finem.

Nec miror: ſub corde ſuo nam dixit ineptè:
Eſt Deus oblitus crimina quæque mea.
Quin & in æternùm faciem auertiſſe videtur;
Vt bona, quæ fiunt, & mala non videat.

Exurge, Domine Deus, exaltetur manus tua: nè obliuiſcaris pauperum.

Hic exurge, pius Deus: impietas nimia eſt hæc:
Surſùm tolle manum: fulmina iuſta vibra.
Exige promeritas pœnas: ſis pauperis vltor:
Hoc nimis eſt atrox, turpe nimiſq; ſcelus.

Propter

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim
in corde ſuo: non requiret.

Quæſo, meméto Deus, quod ob hanc ſolumodò cauſā:
Ius violare tuum ſic fuit auſus homo;
Quippè in corde ſuo dixit dementior omni
Dementi: curat crimina nulla Deus.

Vides, quoniam tu laborem, & dolorem conſideras:
vt tradas eos in manus tuas.

Quàm falsò tamen id dixit, patet indè: quòd ille,
Vel citò, vel ſerò, puniat omne nefas:
Singula quin ea probra, probo quæ non probus infert,
In meritum, aut pœnam cenſet vtriq; Deus.

Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris
adiutor.

Eſt igitur Tibi, tutelæq; tuæ, Pater alme, relictus
Quiſquis preſſus, inops, orphanus, innocuus.

Contere brachium peccatoris, & maligni: quæ-
retur peccatum illius, & non inuenietur.

Tu peccatoris miſeros calcantis inanes
Vires redde: doma, contere, ſterne, Deus.
Hoc ſi peccantis frangatur robore robur.
Quæſita in nullo culpa erit vlla loco.
Non etenim poterit patrari culpa, necato
Peccatore: quis, hanc qui patret, eſſe poteſt?

Dominus regnabit in æternùm, & in ſæculum
ſæculi: peribitis gentes de terra illius.

Tùm firmum Dominus ſceptrum geſtabis in æuum,
Si deſit mala gens in ditione tua.

Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præ-
parationem cordis eorum audiuit auris tua.
Iudicare pupillo, & humili: vt non apponat vl-
trà magnificare ſe homo ſuper terram.

Sic exaudiuit miſerorum vota precantûm
Corde vibrata pio ſummus in Orbe Pater,

Quàm

Quàm benè diuino pupilli, humiliſque, inopiſque
Tutori, & prompti Iudicis auris erat!
Ex quibus accipiat quicunque vir impius, vltrà
Nè velit eſſe potens improbitate ſuâ.

De Antichriſto ſceleratiſſimo homine; de quo ſæpè in Sacra Scriptura fit mentio.

DISTICHON.

POſt Chriſtum veniens, ſit, Antichriſte, vocaris?
Iudicij ante diem Lucifer ater ero.

DE EODEM ALIUD.

ADuentum Chriſti Antichriſti flagra præibunt:
Sæuior hac Mundo nulla tyrannis erit.

Ad Regem Dauid, ob ea verba in Pſalmo *Miſerere*: *Tibi ſoli peccaui*, iuxtà varium PP. ſenſum explicata.

DISTICHON.

QVomodò peccaſti ſoli, *tot crimine lædens?*
Ah! Reges ſolum plectere Numen habet.

ALIUD DE EODEM.

PEccaui, *Numen*, tibi ſoli: *crimina Regni*
Sunt mea cuncta: in me totaque pœna cadat.

Digitized by Google

Ad D. Lazarum Auguſtinum Cottam
Iuris vtriusque Conſultum
Virum doctum, & eruditum:
qui multo ſtudio, atque erga Patriam zelo
Nouarienſe Muſæum confecit,
breui lucem viſurum.

Quarè homo deſcribatur potiùs animal riſibile,
quàm flebile? maximè, cùm à matris vtero
flere incipiat?

DISTICHON.

CVr homo riſibilis, ſi flet, naſcendo? quòd, inter
Viuentes omnes, rideat vnus homo.

Auctor ex 1. Regum 16. meditans, quod,
tangente Dauid citharam,
recedebat à Saul ſpiritus malus;
ſpem concipit,
ex Pſalmorum Dauidis recitatione ſub mortem,
quod ſint ſtatim dæmones abituri.

TETRASTICHON.

DAuid vbi citharam pulſat, ſinit atra Saulem
Turba: cane: hanc, Dauid, me moriente, fuga.
Dauidis ob citharam Saul eſt à dæmone liber:
Dauidis in naulo vim mihi ſpero parem.

San-

Sancti Thomæ Aquinatis
amico ſuo Conſilium.

DISTICHON.

INnocuam poteris, frater, deducere vitam;
Si ratio in rebus ſit tua norma tuis.

In maledicentem.

DISTICHON.

Alluditur ad celebrem Theodoſij Imperatoris
in Codice legem. l. 1. *ſi quis maledixerit*:
aduersùs eos etiam, qui Maieſtati ſuæ
maledixiſſent:
Si id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt;
Si ex inſania, miſeratione digniſſimum;
Si ab iniuria, remittendum.

OBloqueris mihi! contemno: miſereſco: remitto:
Sis leuis: aut ſtultus; vel ter iniquus homo.

S. Maria Magdalena IESUM inquirens,
vt habetur Io. 20.
exiſtimans, quia hortulanus eſſet, dicit:
Domine ſi tu ſuſtuliſti eum?

DISTICHON.

HOrti cultorem, Dominum, Matrona vocauit,
Theſaurum credens occuluiſſe ſuum.

DE EODEM ALIUD.

Eſt olitor? Dominũ reputat? Dominumq; ſalutat?
Protinùs ab! ratio noſcitur: Eius eget.

In plebeum geſtantem in digitis anulum aureum.

Anulus apud Romanos diſtinguebat
à plebe Equites:
Ex Plinio lib. 30. c. 7. Sigonio lib. 2. de iure Romanorum Tiraquellus ſuper Alex. ab Alex. lib. 2. c. 29., & alĳ.

DISTICHON.

Anulus haud plebem decet: erudit ipſa vetuſtas,
Quem deceat: ſignum Nobilitatis erat.

De eodem aliud facetum.

Anulus in plebis manibus non conuenit; illum
Si geſtare velit, collocet in pedibus.

De Elia, & Enocho nondùm mortuis, vt ex Sacris Literis habetur.

DISTICHON.

Credo viatores; mea ſed mens hæret, Enochus,
Elias & ſocius num moreantur adhùc?

Ad

Ad D. Io: Andream Comitem Aliferum
Faticoſorum Academiæ ProPrincipem VII.
L' INVTILE,
Literis, vt Sanguine, clariſſimum.

Amicitiæ nihil officit opinionis diuerſitas.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Philoſophi lib. 9. Ethicæ cap. 6. vbi ait:
Non eſt neceſſaria amicitiæ, quæ in moralibus nimirùm eſſe poteſt, concordia ſententiarum.

FOedus amicitiæ non rumpit opinio diſcors;
Dummodò concordent mutua corda, fides.

Iecoris piſcis fumo
è Sara iunioris Tobiæ ſponsâ dæmon expulſus.
Tobiæ 6. 8.

DISTICHON.

SAra carens fumo depellit dæmona fumo:
Excæcatque nigrum candida ſponſa canem.

DE EODEM ALIUD.

E Sara, haud miror, Satanam diſcedere fumo:
Quippè ſuperbi oculos lædere fumus habet.

Benedicto N.
feros luxuriæ motus ſuſtinenti ſuggeritur conſilium, vt catenis ſe reprimat aculeatis.

DISTICHON.

TE pungit, Benedicte, Venus? vindicta paretur:
Quid faciam? Venerem tu quoque punge tuam.

Antiochus Rex impijſſimus,
dolens, non exauditur à Domino pro peccatorum remiſſione, vt innuitur ex 2. Machabæorum libro, c. 9. n. 13.

DISTICHON.

CVr veniam Antiochus non impetrare meretur?
Ex terrore fuit non ab amore dolor.

In quendam Poetam dulcem nimiùm.

DISTICHON.

Alluditur ad illud, Græci Vatis:
Ipſius etiam mellis nimietas bilis eſt.

IN pangendo tuum nimis eſt mel dulce, ſodalis:
Scito, quod eſt bilis mel *quoque* dulce nimis.

PSAL-

PSALMUS DECIMUS DAVID Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

In Domino confido.

DEfixa in Domino ſpes mea firmitèr
Fidenti eſt animo robur, & æs triplex;
Quo præcinctus vtramque
Fortunam impauidus manet.

Quomodò dicitis animæ meæ: tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Quarè ergo timidum conſilium meis
Inſidus monitor ſuggerit auribus?
Dicens; hinc fuge velox,
Inſtar paſſeris auola.

Quoniam, ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra; vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Te incautum tacitis inſidijs petunt
Hoſtes lethiferis arcubus horridi;
Inſtructâque ſagittis
Te expectant pharetrâ graues.

Quoniam, quæ perfeciſti, deſtruxerunt.

Maturate fugam, qui hæc mihi dicitis:
Illi, illi timeant, qui tua, mi Deus,
Corrumpunt opera, auſu
Peccantes temerario.

Iuſtus autem quid fecit?

Sed iuſtus pariter criminis, & metûs
Eſt expers, Domine; ac, certus opis tuæ,
Securo, vt leo, greſſu
Fidens magnanimè ambulat.

Dominus in Templo ſancto ſuo : Dominus in Cælo ſedes eius.

Templum ſydereum, vota vbi ſuſcipis,
In Cælo eſſe tibi nouit is optimè;
Regalemque thronum æquè
Eſſe, vndè omnia dirigis.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt : palpebræ eius interrogant filios hominum.

Ex hoc propitijs luminibus probos
Oppreſſos recreas, dum pius aſpicis;
Atque iratus eodem
Terres intuitu improbos.

Dominus interrogat iuſtum, & impium : qui autem diligit iniquitatem,

Omnes iudicio, magne Deus, tuo
Sunt iuſti paritèr ſubditi, & impij;
Sed væ, væ ſceleratis:
Væ his, qui crimina diligunt.

Odit animam ſuam.

Inſano miſeri dum ſtolidè hæc amant,
Feſtinant odio charam animæ ſuæ
Vitam perdere letho
Æternam irreuocabili.

Pluet ſuper peccatores laqueos.

Viuentes laqueis hos Deus indui
Peccati, quod amant, perpetuis ſinet;
Ac tandèm calice iræ
Poſt mortem excipiet ſuæ.

Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.

Sed quali calice, heu! fulmina turbines
Quaſſantes rabidis omnia flatibus,
Fætens ſulphur, & ignis,
Sunt pars exigua illius.

Quo-

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit; æquitatem vidit vultûs eius. . . .

Sic iuſtus Dominus, iuſtaque diligens,
Iniuſtos merito ſupplicio afficit:
Dum vultu placido idem
Iuſtos aſpiciens beat.

De Bethlemitico ſtabulo, IESU naſcente.

DISTICHON.

ASTrologi huc oculos mentis conuertite: Cælū eſt:
Diuinus tenebras Sol vbi luce ſecat.

De Incarnatione æterni Verbi.

DISTICHON.

RHetores: hacne poteſt fieri translatio *maior?*
Se Deus en transfert Æthere factus homo!

In nuda corpora pingentem.

DISTICHON.

HOſtis honeſtatis! quæ corpora cælat honeſtas,
Tanto cum damno tu manifeſta facis?

Sancta Seuera Virgo Treuirenſis.

DISTICHON.

UNde ſuum ducit Virgo ſuauiſſima Nomen?
Urania monet, quo ſit habenda loco.

Ad

Ad D. Ioannem Baptiſtam Brippium
neptis meæ ex ſorore Conſortem,
Virum, vt Sanguinis claritate,
ità literis, & pietate
Illuſtrem.

De tempore.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Matthæi cap. 10. 26.
Nihil eſt opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non ſcietur.

OMnia tempus edit: non edit & omnia tempus:
Omnia ſicùt edit, tempus & edet idem.

Redarguitur aliquis Virtute, & Nobilitate nudus, ob propoſitionem ab eo prolatam.

DISTICHON.

SI ſit inops, teritur Virtute, aut Sanguine clarus?
Falleris; at tereris tu, quòd vtroque cares.

Sancta Martha Virgo Gynæcea ſacra
primùm inſtituit.

TETRASTICHON.

PRima Gynæceum condis; Mundoque puellas
Martha rapis; Domino reſtituisque ſuo.
Ars noua; iuſta tamen, nec non lucroſa docetur:
Hac quia ſerua ſuo ſponſa ſit alma Deo.

DE

DE EODEM DISTICHON.

TV Martha es virgo, tu Virginis æmula; nanque
Virginei thalami mater es absque viro.

Excuſat ſe apud quendam Auctor.

DISTICHON.

IGnoſcas, quòd ego non cedo libentèr honorem:
Contemptum talis ceſſio iure vocat.

De inconſtantibus hominibus.

DISTICHON.

In quo, ad Senecæ exemplum Natur. quæſt. l. 1. aſſimilantur huiuſmodi homines in deſiderijs vagi collo Columbarum.

COlla Columbarum mutantia ſæpè colores
Sunt inconſtantis ſymbola clara hominis.

Cuiuſdam prudentis Viri dictum.

DISTICHON.

ESt hebetum quatuor melior ſapientia quavis,
Quæ venit à ſolo; conſilioque caret.

D. Carolo Caietano Stampæ de Leyua
S. Antonij Oppidi Valentiæ Abbati,
Comiti, & Iuris Conſulto Mediolani Collegiato,
ſacrâ, & profanâ eruditione imbuto,
ad Faticoſorum Academiam,
peculiari animi affectu,
ſæpiſſimè ſe conferenti.

Sancti CAIETANI Cleric. Regul. Patriarchæ
Cor volans ignitum ad Cælos.

SEXASTICHON.

EStne timor, vel amor, cordi qui præbuit alas?
Non timor eſt, ſed amor, qui cor ad aſtra vehit.
Quis timor eſſe poteſt generoſo in corde Thienis:
Cui neque paupertas flectere cor potuit?
Solis amore ſui Phœnix hic vnicus ardet;
In flammasque migrans it cor ad aſtra volans

Ad Sanctum Ambroſium Mediolani Antiſtitem;
in cuius infantis ore legimus examen
Apum mellificaſſe.

DISTICHON.

AMbroſij quid Apes ſignant ad labra volantes?
Dulcedo paſcet: punget acumen oues.

DE EODEM ALIUD.

QVæ fecere tuo mel Apes in gutture, Cæli
Credo fuiſſe: tuum quòd mel ad aſtra rapit.

Cuidam

Cuidam nobili adoleſcenti Virtutis ſuaſio.

DISTICHON.

QVomodò eris Dominus Virtutū, quæris? eaſdem
Iure tenes, ſi tu Rex potes eſſe tui. *

* *Ex Claudiano de 4. Honorij Aug. Conſ.*

E miſero locupletis facti dictum.

DISTICHON.

PAuper eram: placidè, noctesq;, diesq; trahebam;
Nulla locupleti, nocte, dieue quies.

Ad Comitem D. Antonium à Porta,
Regium Mediolani Quæſtorem,
Mineruæ artibus apprimè decoratum,
noſtræque Faticoſorum Academiæ
nil minùs addictum Auditorem.

De Sancta ANNA Deiparæ Genitrice.
Nominis ſignificatio ex Diuo Epiphanio
l. de laud. Virg.

DISTICHON.

SEu à principio, ſeu fine legatur, idipſum
Anna *ſonat: quauis* Gratia *parte ſonat.*

De

Digitized by Google

De eadem Sancta aliud.

*Q*Vanta ſit *Anna, petis? vel* Gratia? *noſce, quod, (omnis*
Gratiæ *ab hac Mater Matre ſit orta ſolo.*

ALIUD DE EADEM.

ILla ego totius lectiſſima Gratia *Mundi:*
Prodije ex vtero Gratia *vera meo.*

Initium Sapientiæ eſt timor Domini.
Eccleſiaſtici 1.

DISTICHON.

NIl ſapientis habet; cui non timor ima pererrat
Numinis: hic primas dat ſapientis opes;

DE EODEM ALIUD.

VIs fieri ſapiens? en norma: timeto Tonantem:
Qui ſua in audaces tela triſulca iacit.

Ex illo S. Ambroſij lib. 1. Hexameronis
De nauibus, ſecundo vento, velociſſimè
ad portum tendentibus
elegantèr expreſſo;
Non verbere aguntur, ſed ſpiramine.

MORALE DISTICHON.

VT naues non verbere, ſed ſpiramine aguntur;
Sic hominum blandus ſpiritus in cor agit.

San-

Digitized by Google

Sanctus Chriſtophorus omnium Dominum portans.

DISTICHON.

MAgnus Atlas! cedit cui gloria ſparſa prioris:
Non Cælum; at Cæli ſuſtinet iſte Fabrum.

Dictum cuiuſdam diſcipuli de ſuo in ſcientijs Magiſtro, Viro optimo, ad funus expoſito.

DISTICHON.

E Cathedra viuus docuit me plura Magiſter;
Mortuus è feretro ſed mage plura docet.

In iurantem ex conſuetudine.

DISTICHON.

QVid iuras? plùs credo tibi, ſi non mihi iures:
Eſt: non eſt, *Vir ait: prætereàque ſilet.*

ALIUD DE EODEM.

NOn iuramentis, precibus ſed Numina pulſa;
Et caue, nè Superos in tua damna voces.

PSALMUS UNDECIMUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Saluum me fac, Domine: quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.

ERipe me populi è medio, Deus optime, iniqui;
Cui mala ſola placent.
Sancta probas, & vera, Deus; verùm vtraq; ab iſto
Sunt procul Orbe bona.

Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa in corde; & corde locuti ſunt.

Vana auidè cuncti ſectantur, vana loquuntur,
Vanaque mente gerunt.
Semper eis duplex eſt cor: fallacia ſemper
Plena dolis labia.

Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa: & linguam magniloquam.

Surge, Deus, tandèm, ac gentem diſperde bilinguem,
Oraque magniloqua:
Erraui: potiùs mihi erant blaſphema vocanda:
Sacrilegique viri.
Quando hucuſquè furens demùm vecórdia venit;
Vt neget eſſe Deum.

Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?

Quis Dominus? dicunt: noſtra hæc ſunt corpora, noſtra
Ora, quibus loquimur.

Magni-

Magnificè noſtrâ nos linguâ vtemur; & ipſa
Nos celebres faciet.

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Ingemit, & luget ſuper his contemptus, inopsq;
Iuſtus ab auxilio;
Sed propter lacrymas iuſtorum denique ſurges,
Numen, opemque feres.

Ponam in Salutari: fiducialitèr agam in eo.

Suſcipiet tua dextra illos, certàque ſalute,
Te quoque ſtare dabit:
Aſpectuque tuo dabit his fidentèr in æuum,
Colloquioque frui.

Eloquia Domini eloquia caſta: argentũ igne examinatũ, probatum terræ, purgatum ſeptuplũ.

Hoc benè tu ſpondes, & caſta, ac neſcia turpis
Sunt tua verba doli:
Sunt, velùt argentum exploratum ſæpiùs igne,
Candida, pura nimis.

Tu, Domine, ſeruabis nos, & cuſtodies nos: à generatione hac in æternùm.

Certè igitur iuſtos tutaberis; atque malignis,
Tu Domine, eripies.
Æterna & poſthàc fient diuortia iuſſu
Inter vtrosque tuo.

In circuitu impij ambulant:

Vertitur intereà miſerum gens impia in orbem,
Crimina dum repetit.

Secundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Nec tu ideò iuxta nobis imperuia mentis
Conſilia alta tuæ,
Deſinis in terris, iuſtus, paritèrque benignus,
Multiplicare homines.

Ad P. Fr. Angelum Mariam Quadrium
à S. Philippo
è ſacro S. Auguſtini Excalceatorum Ordine
Academicum Faticoſum
IL QVIETO,
Theologiæ Lectorem, & Oratorem clariſſimum;
animi tamen Virtutibus
longè clariorem.

DISTICHON.

MVltas ingenij dotes Virtutibus ornas:
Moribus indè magis clarus es, ore minùs.

In quendam volubilem,
qui Nobilem quotidiè ſe vocitat.

DISTICHON.

MObilis es, noui, qui Nobilis eſſe peroptas:
Nobilis eſto; modò mobilis eſſe ſinas.

De Chriſto Domino ad columnam ligato.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Apoſtoli 2. ad Timoth. 2.
Verbum Dei non eſt alligatum.

MIror, Paule, tuo quod ſuderis ore, ligatum
Non Verbum eſſe Dei! carne ligamen habet.

Mili-

Militia eſt vita hominis ſuper terram.
Iobi 7. 1.

DISTICHON.

M*Arte ſub aſſiduo mortalis vita moratur:*
Omnes quò ſecta, morte ſecante, mora.

Inferis addictus inter tenebras.

DISTICHON.

N*Octua, conueniunt, ſtygioq; ſepultus in antro:*
Non videt illa diem: non videt iſte Deum.

Sanctus CAIETANUS Cleric. Regul. Patriarcha à IESU Chriſto ſub mortem Cruci affixus.

DISTICHON.

N*E mirere, Crucem ſubeat propè Fata Thienes;*
Vt fuit ipſe flagrans: in Cruce vixit, obit.

Cur ſanctiſſimum Altaris Sacrificium appelletur *Miſſa*?

DISTICHON.

N*Oſcere vis, Nomen* Miſſæ *quid denotet? audi:*
Per Miſſam, *nobis gratia* Miſſa *Dei.*

In aſſerentem, non eſſe vllum in Religioſos Ordines admittendum, niſi ad iuuentutem peruenerit.
Inſiſtitur, præterquàm quòd ſacris Concilijs, & Sanctis Patribus Anſelmo, & Thomæ Doctori Angelico, etiam Ieremiæ Prophetæ 3. Lamentationum, vbi habet: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſuâ.*

DISTICHON.

A Tenerâ Mundi ſtudijs ætate vacamus:
Cur eadem ſtudijs non erit apta Poli?

Ad amicos, poſt auditam lectionem de quibuſdam, ob nimiam triſtitiam, vel ob nimium gaudium, mortuis.

DISTICHON.

P*Raceptum vetus eſt:* nè quid nimis: *inuida Clotho*
Lætitiam immodicam, mæſtitiamque ſecat.

Ad amicum Iudicem documentum.

DISTICHON.

VIrginis Aſtreæ fungi vis ritè, miniſter,
Munere commiſſo? munera miſſa fuge.

De Naturæ, & Diuinæ Gratiæ lumine in vijs noſtris.

DISTICHON.

OMnes in biuio verſamur: ad aſtra: & ad orcū;
At Domini monſtrat Lux vtriusque viam.

Sanctus Franciſcus Aſſiſias in frigidiſſima ſe volutat niue; vt, vel minima, carnis ſuæ exulet voluptas.

DISTICHON.

CVr gelidæ, Franciſce, niui tua membra locaſti?
Nè tua ſors fiat putrida pura caro?

DE EODEM ALIUD.

PEr gelidas, Franciſce, niues tua membra volutas;
Vt purgata caro ſit mage grata Deo.

An maior ſit numerus eorum, qui ſalutem ęternam conſequuntur; vel qui illam amittunt?

DISTICHON.

ARgumenta patent: paucos ſuper aſtra migrare:
Si quis ait multos: prætereamus eum.

Alicuius ad conſanguineum ſuum, quòd varijs ſecum anguſtijs torqueretur.

DISTICHON.

Nos ſumus in ſpinis: ſociorum turba dolentū eſt
Petores noſtris ferre coacta vepres.

Sancti Thomæ Aquinatis De Religioſis hominibus ſententia.

DISTICHON.

Scis, qui profecit nihil in Virtute? requirens
Aut decus, aut Famam Religioſus homo.

Sancti Apoſtoli, Simon, & Iudas Lunam colere nolunt.

DISTICHON.

Simon, & Iudas Lunæ ſacrare recuſant:
Diuini quòd amor Solis vtrumque tenet.

S. Ludouici Gallorum Regis Philippo filio primum documentum in Teſtamento relictum.

DISTICHON.

Si regnare cupis: ſi vis ſperare ſalutem?
Numen ames: ab eo ſceptra, ſalusq; fluunt.

Ad ea Apocalypſis 22. 2. verba:
Ego ſum Alpha, & Omega,
Principium, & Finis, &c.
Ego IESVS, &c.

DISTICHON.

PRincipium, & Finis *ſum, IESVS dicit; at unde?*
Principium *hîc meriti*: Finis *in Axe, ſalus.*

D. Romano Carraræ
peditum bellatorum Duci
Academico Faticoſo
LO SPIRITOSO;
qui Academicum ſuum Nomen,
explicandis præſertim Italicâ
Poeſi argumentis,
æquat.

De amico antiquo, & recenti.

DISTICHON.

Alluditur ad id Eccleſiaſtici cap. 9. n. 14.
Vinum nouum amicus nouus;
& ad illud aliud Ouidij lib. 2. de arte amandi:
Qui properant noua muſta, bibant: mihi fūdite auitū.

COnfer amicitiam vino, vir amice, recenti:
Semper amicitia eſt anteferenda vetus.

Digitized by Google

Ad Martialis campi Magiſtrum
D. Gaſparem Comitem Berettam,
Faticoſum Academicum
L'ARDITO
In Matheſis praxi eximium.

De Plinij lib. 7. Hiſtor. Natural. querela:
Quod ſolus homo, inter animalia reliqua, nudus naſcatur.

DISTICHON,

SOlus homo nudus cur naſcitur? ille creatis
Omnibus, ob crimen ſe ſpoliauit Adæ.

DE EODEM ALIUD.

SOlus nudus homo ex animalibus exit in auras!
Quarè? ſat tectus mente quòd ille fuit.

In loquaces affertur Pythagoræ Prouerbium:
Hirundinem ſub eodem tecto nè habeas:
quod, tàm Philoſophus, quàm S. Hieronymus de loquaci etiam intelligunt.

DISTICHON.

VNdè hoc à noſtris laquearibus abſit hirundo?
Vt non inficiat garrula lingua lares.

Documentum exindè amico.

ALIUD DISTICHON.

NE ſit hirundo tuo ſub tecto garrula: eâdem
Infectus vapidâ nì velis eſſe pice.

Ad Illud Pſalmiſtæ Regij ad Deum
in Pſalmo 108. n. 109.
Anima mea in manibus meis ſemper
Jectum à Sanctis Patribus Baſilio, Auguſtino,
Hilario, Proſpero, Ambroſio, & alijs:
Anima mea in manibus tuis ſemper.

DISTICHON.

IN manibus mea vita meis non audeo; IESV,
Dicere; at in manibus ſit mea vita tuis.

Pluribus in locis expoſita in Pariſiorum
Ciuitate ſententia:
Vnus Deus, vnus Rex, vna Lex, vna Fides.

DISTICHON.

VNicus eſt Deus: vnicus eſt Rex: vnica Lex eſt:
Vnica, Gallorum cantio nota, Fides.

Illud Cant. 1. 4. *Nigra ſum, ſed formoſa,*
de Beatiſſima Virgine à S.S. Patribus illuſtratum.

DISTICHON.

Plinius ait lib. 2. c. 78. *Æthiopes vicini Syderis*
vapore torreri, aduſtisque ſimiles gigni.

VNdè Maria, licèt formoſa, fuit nigra? Soli
Diuino, ut Mater, proxima ſemper erat.

PSAL-

PSALMUS DUODECIMUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Uſquequò, Domine, obliuiſceris me in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me?

QVò vſque duro me, Deus, afficis
Obliuionis ſupplicio tuæ?
Quò vſque luminum benigno
Intuitu careo tuorum?

Quamdiù ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Ergone vano ſemper, & irrito
Texam, & retexam conſilia exitu?
Mihique inutili madentes
Semper erunt oculi dolore?

Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Cæli ergo miles, carnis adulteræ
Turpis maritus viuere; & hoſtium
Amara pergam ſuſtinere
Sibila, & opprobria inferorum?

Reſpice, & exaudi me, Domine Deus meus.

O forte Numen, militis hoc tui
Tam grande probrum nè vlteriùs feras:
Me denique intuere clemens;
Auxilioque iuua ſuperno.

Illumina oculos meos, nè vnquàm obdormiam in morte:

Diue, potenti lumine gratiæ,
Periculoſum diſcute torpidæ
Mentis ſoporem, cui frequentèr
Interitus comes eſt perennis.

Nè

Nè quando dicat inimicus meus: præualui aduersùs eum.

Nè viſu acerbo, nè mihi perfidus
Inſultet hoſtis, quòd nigra Tartari
Ad antra iam non liberandum
Exitio impulerit ſupremo.

Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero.

Vix ambulanti, vix dubius mihi
Paulisper ægro pes titubet gradu,
Cùm perſequentium maligno
Turba ſonat ſcelerata plauſu.

Ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Sed me, benignè, mox pietas tua
Firmat labantem, Numen, & erigit.
Ductore tanto omnes viarum
Iam ſalebras ſuperabo tutus.

Exultabit cor meum in Salutari tuo.

Ductore tanto cor mihi iubilat:
Iamque & per hoſtes, perque pericula
Conſtantèr explicabo greſſum,
Te mihi opem, Domine, afferente.

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & pſallam Nomini Domini Altiſſimi.

Hymnos canoros, mi Deus, interim
Tuo ſacrabo Nomini; & hoſtibus
Raptus cruentis, prædicabo,
Quanta mihi ſua dextra fecit.

Ven. Pater D. Franciſcus Olympius Cler. Reg. cum lilio in dextera pictus.

DISTICHON.

LActea ſcire cupis cur dextrâ lilia geſtet?
Candida Virginei ſigna pudoris habet.

Quo-

Quomodò cognoſcendi mortalium animi ?

DISTICHON.

SVnt hominum mores animorum lucida imago:
Mores intentus conſpice; animosque ſcies.

De Cometa, ad Princeps.

DISTICHON.

MAgnatum ſolet hic vates prædicere mortes;
Non cauſare poteſt; ni velit ipſe Deus.

Conquerenti, quòd ſæpè ſepiùs infortunijs vexetur.

DISTICHON.

MVltiplicine doles, cùm ſors te percutit ictu?
Si benè fers; pretium quilibet ictus habet.

PUER IESUS
in Præſepio iacens, & tacens.

DISTICHON.

IN puero ſilet ergo Dei Verbum! ſilet! ah non:
Quæ non dicit amans, voce ſilente, Puer?

Ad

Digitized by Google

Ad amicum
De Cauſidicis, Medicis, & Confeſſarijs.

DISTICHON.

CAuſidicis, Medicis, & Confeßoribus, omnem
Ni cauſam, morbum, culpam aperis, miſer es.

Ad Beatiſſimam Virginem MARIAM Auctor.

DISTICHON.

TOllas, vel foueas mihi ſpem, dulciſſima: tecum
In Cælo, in terra, Virgo; beatus ero.

Ad illud Redemptoris noſtri IESU
apud Matth. 25. 12.
Amen dico vobis: neſcio vos, &c.

DISTICHON.

NE mirere legens, quod IESVS dixerit hædis,
Neſcio vos; ſed oues nouerit: Agnus erat.

Pater Abbas D. Bartholomæus Areſius
è ſacro Ciſtercienſium Ordine Viſitator
Faticoſus Academicus
LO SVIATO,
Nobilitatis, & mentis lumine ſplendens.

DISTICHON.

SAnguinis, Ingeniÿque tui nitor emicat ingens;
Palladis at genio quàm magis iſte placet.

Inuer-

Inuerſus Ouidij Carminis de Ioue ſenſus.
ad Deum noſtrum, pulchriùs cum veritate, transfertur.

DISTICHON.

SI quotiès peccant homines, ſua fulmina mittat
Dextra Dei; nullo tempore inermis erit.

Reipublicæ æquè eſſe vtilem paupertatem, & opulentiam:

DISTICHON.

VTilitate pares: paupertas, copia, Regnis:
Artes illa parit; nutrit, & iſta fouet.

Conſilium amico.

DISTICHON.

REſpice Principium, & Finem, benè viuere ſi vis:
Præmia, vel pœnas, ni velis eſſe malus.

Ad genitores inuicem altercantes circa nomen nato filio imponendum.

DISTICHON.

COntendunt pater, & genitrix pro nomine partûs:
Zachariæ caſus, quæ peragenda, docet.

D. Ca-

D. Carolo Comiti Caſati
pro Catholica Maieſtate ad Heluetios Legato,
Faticoſo Academico
L'ABBATTVTO,
vel ſummè arduis peragendis negotijs
aptiſſimo.

De Sancti Petri clauibus, & Sancti Pauli enſe.

DISTICHON.

CVr Petrus claues, Paulus cur indicat enſem?
Pandat vt ille Polos; ſternat vt iſte lupos.

ALIUD DE EODEM.

FErt Petrus claues, enſem fert Paulus: vt enſis
In ſtyga ſtet Pauli; clauis ad aſtra Petri.

De antiquis Auorum imaginibus
apud Magnates expoſitis.

DISTICHON.

NObilium in Domibus ſit imago, lator, Auorum:
Nobilior, Virtus, eſſet imago Patrum.

In quendam.

DISTICHON.

GAudeo, ſis ſapiens: cognoſcis plurima, plaudo:
Sed te non noſcis? ſcis quis es? inſipiens.

In

Digitized by Google

In eundem.

DISTICHON.

TV quàm plura ſapis: rectus reputaris; at iram
Si frenare nequis, non homo, beſtiola es.

De affectatis ſordibus, vel exquiſitis munditijs in veſtibus.

DISTICHON.

Alluditur ad illud S. Hieronymi ad Euſtochium: *Sit veſtis, nec ſatis munda, nec ſordida, &c. Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ conueniunt Chriſtiano.*

NEc mundus nimiùm, nec ſordidus eſto, fidelis:
Pergere Chriſticolas inter vtrumque decet.

Quo in ſenſu intelligendum diuinum de Salomone Oraculum Libro 3. Regum cap. 3. *Quia poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium: ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos; & dedi tibi cor ſapiens; & intelligens, in tantùm; vt nullus ante te ſimilis tui fuerit; nec poſt te futurus ſit.*

DISTICHON.

QVomodò mortali Salomon ſapientior omni?
Ter prudens quòd erat; ter fuit an ſapiens?

In-

inſcriptio militi ſagittâ, atque haſtâ armato.

DISTICHON.

EMinùs vt feriam; feriamq; vt cominùs hoſtem,
Vna ſagitta meas armat, & haſta manus.

In Religioſum Virum ſæcularibus negotijs diſtentum.

DISTICHON.

Alluditur ad S. Pauli 2. ad Timotheum c. 2. 4. ſententiam.
Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus.

CVr, Domini miles, mundana negotia tractas?
Nemo poteſt Mundo, ſeque vouere Deo.

In Epicuri ſententiam in malum ſenſum adhibitam.

DISTICHON.

SIc viue, vt vixiſſe tibi te neſciat Orbis:
Nonne Epicureo viuere more, nefas?

Eiuſdem ſententia in bonum conuerſa.

DISTICHON.

SIc viue, vt vixiſſe ſoli te neſciat vllus:
Non Epicureo more; ſed eſto humilis.

Ad D. Hieronymum à Baſilica Petri
Regium Feudatarium
Locorum à Baſilica Petri, Gazaræ, Becalzurij, &c.
Iuris Conſultum Collegiatum Mediolani,
literis, & moribus egregium Equitem,
mihi affinitate, & amore ſingulari
coniunctum.

De Sancta Thereſa
ſeuerioris veterum Carmelitarum Regulæ
Reſtitutrice, tranſuerberatâ per Angelum.

DISTICHON.

Alluditur ad notam Sanctæ à Deo petitionem:
Domine, aut pati, aut mori.

Non ferus eſt feriens cor Virginis Angelus: eius
Indulget votis: fert, feriendo, pati.

Ad eandem Sanctam Virginem.

ALIUD DISTICHON.

Vt patiare, ferit latus Angelus: ictus amoris
Cùm ſit, nec pateris, nec moreris; ſed amas.

Ad Iaculatorem S. Thereſæ Angelum Iaculatoria.

DISTICHON.

Ictus amoris hic eſt: ferias, precor, Angele; cogas
Me moriendo pati, me patiendo mori.

In

In nimis facilem fidei iuſſorem.

DISTICHON.

Alluditur ad Thaletis Mileſij ſententiam:
Noli ſpondère.

TE mouet, ecce Thelem noli ſpondère: *quòd omnis,*
Qui ſpondère ſolet, ſoluere ſæpè ſolet.

Oſtenditur amico iniurijs laceſſito titulus Senecæ
libri inſcripti:
In ſapientem non cadit iniuria.

DISTICHON.

NOn cadit in te, Vir ſapiens, iniuria; quamuis
In te proijciat ſaxa inimica manus.

Ægrotus ad Deum conuerſus.

DISTICHON.

AH! ſcio cur morbis hîc me, Deus optime, tundis,
Vt te, non iſthæc inferiora, velim.

DE EODEM ALIUD.

ÆGrotus iaceo: Tu, qui es Surrectio noſtra,
Chriſte, iube, vt ſurgam: te ſine ſine ſequar.

PSALMUS TERTIUSDECIMUS DAVID Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.

VEnit ergò denique
Ad hoc furoris vltimum profundum,
Preſſa mole criminum
Inſana gens; vt eſſe in Orbe nullum
Suadeat ſibi Deum?
Nefasque tantum haud prodere auſa verbis,
Corde dicat, & premat?

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Quid ergo mirum, ſi cupido auara;
Si libido prævalet,
Si faſtus intumeſcit; & nec vnus
Hiſce ſordibus caret?
Nec vnus eſt honeſti amans, & æqui?

Dominus de Cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

Agmina iſta turpia
Bacchantium reſpexit, vt videret
Numen, an, vel vnicus
Eſſet tot inter impios furentes
Iuſtus, atque legibus
Vitam ſupernis temperare doctus?
Neminemque comperit.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Om-

Digitized by Google

Omnes rebelles vidit impudentèr
Contumaciâ pari
In denegata legibus ruentes:
Gloriæque Numinis
Sui indecoros vidit vſque ad vnum
Filios Pater bonus
Nihil paternum in rebus gerentes.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſè agebant: venenum aſpidum ſub labijs eorum.

Vidit ora turpibus
Fœtere verbis, vt ſepulchra tabo:
Vidit improbas dolos
Cœlare linguas dulcibus loquelis;
Falſaque, inſtar aſpidis,
Infecta blandiente labra viru.

Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

Vidit ore felleo
Iram furentem, diraque imprecantem:
Impiasque ſanguine
Manus madentes vidit, & volantes.

Contritio, & infelicitas in vijs eorum; & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Quò furor vocat pedes.
En luctuoſas, ac inauſpicatas,
Quas mali premunt vias!
Pacis fideli ſemitâ relictâ,
Numinisque, quod putant
Nullum, timore prorsùs abdicato.

Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Sed patebit impijs,
Tandèm patebit veritas; & iſtos
Coget vltio improbos,
Tandèm Deum eſſe vindicem fateri;
Quando deuorantibus
Ipſis egenos, more conſueto
Efferæ tyrannidis,
Vltrix ab illis exiget ſeuerus
Ira iuſta Numinis
Fletu querentûm prouocata pœnas.

Dominum non inuocauerunt: illic trepidaue-runt timore, vbi non erat timor.

Inuocare noluit
Deum ſuperbus, noluit timere:
Arrogantiam luet
Plexus pauore vano, & omnis vmbræ
Sibilique pertimens.

Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt, conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Iuſtum fideles Numini offerentem,
Corde ſupplici, preces
Riſit ſceleſtus; ſimplicemque dixit:
Inuidenda poſteà
Quandoque deriſori erit maligno
Sors beata ſimplicis.

Quis dabit ex Sion Salutare Iſrael? cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ: exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

Tu, mite Numen, interim miſertum
Plebis iſtius tuæ,
Deſideratum de Sionis alto
Mitte, quæſo, vertice
Noſtræ ſupernum vindicem ſalutis;

Tunc

Tunc ſolutus aſperâ
Captiuitate perſonabit hymnis;
Atque laureas tuo
Texet dicandas Iſrael triumpho.

In auidum potiùs diuturnæ vitæ,
quàm perennis famæ.

DISTICHON.

Viuere nè cred.s, quibus eſt ingloria vita:
Vnica perpetuum viuere fama dabit.

Ad ea Geneſis verba cap. 1. num. 26.
Faciamus hominem ad imaginem,
& ſimilitudinem noſtram.

DISTICHON.

Hinc, quod homo ſit imago Dei, liquet: omne creatum,
Atque Creatorem mente referre poteſt.

DE EODEM ALIUD.

Eſt homo imago Dei: color Adæ ſorde receſſit:
Conſperſus rediyt ſanguine, Chriſte, tuo.

Quarè in Sacris paginis
diuinum Verbum incarnatum
Filius hominis dicatur?

DISTICHON.

Filius eſt hominis *ſic appellatus IESVS,*
Hinc, vt diſcat homo, quo ſit homo in pretio.

Epiſcopis coràm ponitur
S. Euariſti Papæ de non mutandis Eccleſijs
Conſtitutio,
cum lege à Chriſto Domino
de coniugio enunciatâ:
Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.
Matth. 19. 6. Marci 10. 9.

DISTICHON.

QVam regitis, vobis Sponſa eſt Eccleſia: Sponſos,
Quam Deus edixit, lex variare vetat.

IESU Chriſti, & MARIÆ Matris dolores.

DISTICHON.

In Chriſto pateris, Virgo; in Genitrice Redemptor:
Paſſio an eſt maior Chriſte, ne, Virgo, tua?

Amico
recuſanti acceptare dimidiam hæreditatem
cum pace à contendente illi totam,

DISTICHON.

Alluditur ad Heſiodi Poetæ Græci Ænigmaticum
Prouerbium:
Dimidium eſt plus toto.

ACcipe dimidium ſine litibus; eſtoq; certus,
Dimidium toto quòd tibi maius erit.

Ad

Ad IESUM Chriſtum Auctoris fiducia.

DISTICHON ALIUD.

MI IESV, haud timeo, te prono corde precari;
Cùm tu ſis hominis Filius; immò Pater.

Angelus in Apocalypſi cap. 19.
non permittit, ſe adorari à Ioanne Apoſtolo,
inquiens:
Vide, nè feceris: conſeruus tuus ſum.

DISTICHON.

Alluditur ad Sancti Ambroſij
de ſupradicto explicationem, ſcilicèt:
Pertimeſcit Angelus adorari ab homine,
qui ſupra ſe adorabat hominem Deum.

Nè mihi flecte genu: nè me, licèt Angelum, adores:
Angelus ipſe hominem ſeruus adoro Deum.

Dicto S. Lucæ in Actibus Apoſtolorum c. 17. n. 21. punguntur nonnulli populi, quorum quotidianum ſtudium eſt, ad *noua* incumbere: *Athenienſes autem*, Sanctus ſcripſit Euangeliſta, *omnes, & aduenæ, & hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi, aut dicere, aut audire aliquid noui.*

DISTICHON.

AVdire, atque loqui noua *iam fuit vſus Athenis:*
Per totam Italiam ſparſus abuſus hic eſt.

De

De quodam locuplete miſerum perſequente ad mortem; quam ipſe priùs oppetijt.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Pſalmi 7. 1.
Incidit in foueam, quam fecit.

INcidit in foueam diues, quam fecit egeno:
Sæpè ſubit, miſero quæ parat ille, mala.

DE EODEM ALIUD.

NOn perit in finem miſeri patientia: diues
Incidis in foueam, quam tibi fecit inops.

Amicus amico expetenti promptitudinem ad dandum ſanguinem, animamque pro eo.

DISTICHON.

Alluditur ad ſenſum Heſiodi, & Antiphanis aſſerentium:
pecuniam eſſe hominis ſanguinem, & animam.

TEſtis amicitiæ mea tota pecunia noſtra:
Hæc in amicitijs eſt cruor, eſt anima.

Ad

Ad D. Iuris Conſultum
Scipionem Mariam Acatinum
Faticoſum Academicum,
IL VIGOROSO,
& Poeticâ
inter cæteros eius honores
inſignem.
De horæ mortis incertitudine.

Sancti Gregorij Papæ in Euangêlia hom. 13.
ſententia eſt:
Horam vltimam Dominus idcircò voluit nobis eſſe incognitam; vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta, vt, dum illam præuidere non poſſumus; ad illam ſine intermiſſione preparemur.

DISTICHON.

CVr incerta ſit hora mea, vult mortis? an optat,
Sit ſuſpecta, Deus, qualibet hora mihi?

DE EODEM ALIUD.

SEmper vt æternos mortalis cogitet annos;
Nunquàm certus erit, cùm moriturus erit.

De paupere, & auaro.

DISTICHON.

QVòd nihil eſt inopi; totum, quòd deſit auaro:
Sorte pari, ſemper, pauper, auarus, eget.

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

QVin puto ſit pauper, pauper minùs, àc ſit auarus:
Pauper, non ſemper: ſemper, auarus eget.
Ex Horatio lib. 1. epiſt. 3.

Amico me à ſtudijs auertenti.

DISTICHON.

NOn hucuſque ſatis didici, mihi crede: ſeneſco,
Addiſcens ſemper multa, fauente Deo.
Ex Solone.

DE EODEM ALIUD.

NOſcere nè valeam, quis ſim; nec noſcere, quis ſis:
Niteris à ſtudijs me remouere? Vale.

De ingràtis, ad amicum.

DISTICHON.

SCire cupis, quid amas, ingratos, frater, amando?
Cum Plauto dicas: Nil ego prorsùs amo.
Ex Perſa Plauti act. 2. ſc. 2.

PSAL-

PSALMUS QUARTUSDECIMUS DAVID Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

O D E.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut, quis requieſcet in monte ſancto tuo?

QVisnam dignus erit, magne Deus, fulgida Regiæ
Aulæ tecta tuæ, quæ rutilo lumine ſydera,
Et Solem ſuperant, Cælicolis additus ingredi?
Quiſnam montis, vbi munificam tu, Deus optime,
Oſtendis faciem promeritis, culmina ſcandere,
Paciſque aptus erit perpetua munera conſequi?

Qui ingreditur ſine macula; & operatur iuſtitiam.

Ille, & non alius, ſyderea ad gaudia Patriæ
Felix perueniet, qui maculis purus ab omnibus,
Præclaris animum iuſtitiæ cultibus induit.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua,

Nec fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit aduersùs proximos ſuos.

Ille hac ſorte frui dignus erit, qui pia dogmata
Expendens tacito corde, ſibi vera fideliter
Euoluit ſapiens aſſiduè, æternaque prouidens.
Huic ſincera dolis lingua carens, huic manus innocẽs,
Atq; inferre malũ eſt neſcia: frons huic grauis impro-
Qui famã maculant alterius, territat, & fugat. (bos,

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Hic, quæcunq; malos pompa viros, ac honor ambiat
Externus populi, ſpernit eos, & nihili æſtimat:

Rectos

Rectos verò, Deum qui metuunt, quolibet angulo
Abiecti iaceant, obſequijs proſequitur colens.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: & munera ſuper innocentem non accepit.

Hunc, ſi quando ſua interpoſito nomine Numinis
Firmet dicta, fidem ritè datam frangere perfidè
Non blanda vtilitas, non trepidus cõpulerit metus:
Non lucris vetitis huic auidè eſt aucta pecunia;
Nõ accepta, bonos vt premeret, ſunt mala munera.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Hic eſt, hic igitur, qui ſtabili culmine maſculæ
Virtutis poſitus, iamque Dei, qua licet æmulus,
Poſt fata emeritum ſtelliferis arcibus inferet
Nullis turbinibus concutiendum vlteriùs caput.

In quendam de eius in Deum amore.

DISTICHON.

Cum dicis, quòd Numen amas, vix credo: quòd, (ignis
Eſt amor; in Numen vel tuus alget amor.

Ad illud Pilati penès Io: 18. 38.
Ego nullam inuenio in eo cauſam, &c.

DISTICHON.

Sic Chriſtum ſine labe Deum, Pilate, fateris:
Cùm ſolum cauſam neſcias Eſſe Dei.

De

De Mari.

DISTICHON.

TOt bibat, haud miror, Mare dulcia flumina: ſalſum eſt:
Illud inextinctâ flagrat & indè ſiti.

In Iudam Iſcariotem laqueo ſe ſuſpendentem.

DISTICHON.

SAt tibi ſit, fueris quod Chriſti proditor: idem
Nè, ſcelerate, velis proditor eſſe tui.

In eundem occumbentem in aere ſuſpenſum.

DISTICHON.

NOn terrâ Iudas dignus, non Axe putaris:
Inter vtrumque tibi conuenit ergo mori.

Lydius fortium lapis.

DISTICHON.

REbus in aduerſis fortes benè, credo, probentur;
Pulchriùs hos alij in proſperitate probant.

Ad Sanctum Zachariam S. Io: Baptiſtæ genitorem,

DISTICHON.

LInguam ſolue ſonis: ſiquidem decet eſſe loquentē,
A Verbo Vocis cui datur eſſe Patrem.

De

De homine fucato.

DISTICHON.

Alluditur ad Philippi Macedonum Regis dictum:
Fucato nè viro crede.

FUcato nè crede viro: *vel crede, quod ille*
Credi vult: alius quàm ſit, & alter homo.

In Iudæos IESUM Chriſtum conſpuentes.

DISTICHON.

SOrdenti IESVM ſputo maculare ſtudete:
Nunquàm Sol veſtras contrahet Hic maculas.

Ad D. Doctorem Bernardinum Gallignanum Collegij noſtri S. Antonij Mediolani Medicum doctiſſimum, & in arte ſua felicem.

DISTICHON.

COrpora ſic releuas morbis, cunctisq; mederis;
Hyppocrates ægris vt videare tuis.

De quadam animi incertioris vxore.

DISTICHON.

FAlleris, haud leuis eſt mulier; leuis etſi habeatur:
Hanc ſibi nam coniux aßerit eße grauem.

Ad D. Ioſephum Antonium Caſtillionæum Inſignis Collegiatæ S. Stephani Mediolani Canonicum,
Academicum Faticoſum
IL CAVTO,
ſuauiorum, & grauiorum literarum ſtudijs, vt ingenio, ſplendidiſsimum.

Cur veritas, alioquin in ſe tàm pulchra, odium pariat?

S. Auguſtini lib. X. Confeſs. cap. 23. Sententia:
Amant homines veritatem lucentem; oderunt eam redarguentem; quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam, cùm ſe ipſam indicat; & oderunt eam, cùm eos ipſos indicat.

TETRASTICHON.

LVcet vbi verum ſibi; quisquis diligit illud;
Odit idem, à vero quando redarguitur.
Nempè ſuperbus homo ſibi ſe verum indicet vni
Vult, nè fallatur; fallere at ipſe queat.

DISTICHON DE EODEM.

NOn homo vult falli, ſed fallere: corrigis? egrè
Fert verum: laudas? tunc placiturus eris.

Quidam pacis inter amicos perturbator Poetico Prouerbio reprehenditur.

DISTICHON.

NAs inter fluctus lætus: nè ſis ità lætus:
Et nantem fluctus in fera ſaxa ferunt.

Ad Magos Reges.

Inuenerunt puerum cum MARIA, &c. Matth. 1.
Alluditur ad illud ſapientiſsimi Idiotæ
in Prol. de Contemplatione B. V.
Inuentâ Virgine Mariâ, inuenitur omne Bonum.

DISTICHON.

EN Puer: ecce Maria, Magi: cor ſiſtite amantes,
Hac ſimul inuentâ, ſcilicèt omne Bonum.

In quendam verſipellem.

DISTICHON.

SCis, neſcis: ais, atq; negas, quaſi tempore eodem:
Duplex, *non ſimplex, iure putaris homo.*

Ad Sanctum Gallicanum Martyrem,
Virum Conſularem,
in egenos maximè generoſum, & ſplendidum.

DISTICHON.

SI quandoq; ſtatum quisquam exoptauit egenum,
Tunc fuit, omnigenam te tribuente ſtipem.

Auctor horologium rotarium inſpiciens.

DISTICHON.

ITque, reditq; ſtylus feriens in cyclade punctum:
Quodlibet an vita temporis ille mea?

Ad

Ad amicum.

DISTICHON.

INtrà te viuas: nec te quæſiueris extrà:
Vni te diſces viuere poſſe Deo.
Ex Aulo Perſio Satyra 1.

In corde S. Ignatij Martyris repertum eſt IESV Nomen inſculptum.

DISTICHON.

GVtta cadendo cauet lapidem: meditatio IESV,
Pulchriùs aſt homini cor, repetita, cauat.

Luſori, ob perditam pecuniam omnem, blaſphemanti.

DISTICHON.

HOc eſt, crede mihi, poſt omnia, perdere naulum,
Cùm timor in ludi perditione Dei eſt.
Ex Iuuenali Satyr. 8.

Cuidam peſsimè vxorato.

DISTICHON.

CVm domi habes Helenam, nè credas, Troia quod (abſit)
Ni pellex abeat, proximus ignis erit.
Ex Seneca in Agam. act. 4.

D. Ioſepho Comiti Simonettæ
maximæ pietatis, & prudentiæ
Equiti,
qui vtramque in publicum beneficium
quotidiè impertiri ſolet

Reſpondetur,

quarè non ita ſæpè videantur miracula?

DISTICHON.

RAra iuuant: ideò fiunt à Numine mira
Rarò: nam maius rara iuuamen habent.

Martialis lib. 4. Epig. 24.

In amici gloriæ hoſtem.

DISTICHON.

VNus vt à curſu nauim non ſiſtere pollet:
Sic tu, nec famam ſiſtis, inique, meam.

Ex Mart. l. 17. ep. 91.

Chriſtianæ alicuius preces ad implacabilem
inimicum.

DISTICHON.

TE rogo: parce mihi: veniam concede roganti:
Nì velis, haud timeo: quod potes, ergo velis.

Ami-

Amico dicit Auctor cauſam,
cur nullâ terrenâ conſolatione fruatur?

DISTICHON.

PLus aloes, quàm mellis habet *mundana voluptas:*
Nullus amaritiem ſenſus amare poteſt.
Ex Iuuenali Satyr. 6.

Ad D. Balthaſarem de Roſales
Vailati Comitem, &c.
Faticoſorum Academiæ Principem, &c.

DISTICHON.

S*it fabella, Roſam pro ſydere in Axe micare;*
Semper erit verum, ſit tua digna Polo.

In Quintianum
S. Agathæ Virgini mamillas amputari
imperantem.

DISTICHON.

A*Bſciſſisne putas Agatham terrère mamillis?*
His illam priuans, tu facis eſſe virum.

In aliquem, Alexandrum Nomine,
mole corporis magnum, animo paruum.

DISTICHON.

M*Agnus Alexander fuit olim corpore paruus:*
Magnus hic eſt alter; paruus at alter hic eſt.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

Hæres ſum Domini, Deus eſt mea portio tota;
Indè homo viuo, bibo, paſcor, & indè beor.

Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Tuque, Pater Diuine, dabis, ſim ſemper vt hæres
Illorum, quæ in Adam perdidit omnis homo.

Funes ceciderunt mihi in præclaris.

Quàm bona, ſumme Pater, mihi ſtat partitio! funes
Optatæ ſortis nam cecidere mihi.

Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Sit præclara tuo hæredi pars contigit: hæres
Sic melioris ego partis in Orbe fui.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.

Propterea Domino decus immortale ſit; illa
Quòd benè percepi, quæ peragenda mihi.

Inſuper, & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Immò, quòd & fuerim ſuccenſus amore; ſalutis
Vt per me humanæ perficeretur Opus.

Prouidebam Dominũ in conſpectu meo ſemper.

Iugitèr hunc Domini mandata reuoluo Redemptor;
Nè minùs iniuncto perficiatur Opus.

Quoniam à dextris eſt mihi, nè commouear.

Vel magis hæc cordi mihi res immota ſedebit;
Auxilio Genitor nam mihi ſemper eris.

Propter hoc lætatum eſt cor meum: & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Cor patiens ideò pulſabunt gaudia: lingua
Exultabit: erit ſpene quieta caro.

Quoniam non derelinques animam meam in Inferno; Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Tem-

Digitized by Google

Tempore nec longo linques animam in ſinu Abrami;
Nec fiet cinis; aut putre cadauer erit.
Notas mihi feciſti vias vitæ.
Quin, iter ad vitam reſeraſti; ut tutus ad illam
Iam mecum ſaluus pergere poſſit homo.
Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.
Lætitiâ tandèm me tùm cumulabis in Axe:
Electos facies eſt vbi quosque beans.
Delectationes in dextera tua vſque in finem.
Porrò tuâ in dextrâ nunquàm iucunda voluptas
Occidet; aut veri copia blanda boni.

De IESU ad columnam flagellato.

DISTICHON.

EN! *rubuiſſe viden IESVM cædentia flagra!*
Vnà carnifices non rubuiſſe viden!

Quàm pauci attendant ſibi.

DISTICHON.

QVisquis *in alterius rem lumina dirigit: vllus*
Vix propriam in propria rem videt hiſce domo.
Ex Io: Cardinali Bona.

Aliquis ex ardentioris Solis radijs cæcus factus.

DISTICHON.

COnſpiciens *Solem ſua lumina perdit amicus:*
Quam nobis gignit, Sol rapit ergo diem.

In

De quodam locuplete miſerum perſequente ad mortem; quam ipſe prius oppetijt.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Pſalmi 7. 1.
Incidit in foueam, quam fecit.

INcidit in foueam diues, quam fecit egeno:
Sæpè ſubit, miſero quæ parat ille, mala.

DE EODEM ALIUD.

NOn perit in finem miſeri patientia: diues
Incidis in foueam, quam tibi fecit inops.

Amicus amico expetenti promptitudinem ad dandum ſanguinem, animamque pro eo.

DISTICHON.

Alluditur ad ſenſum Heſiodi, & Antiphanis aſſerentium: *pecuniam eſſe hominis ſanguinem, & animam.*

TEſtis amicitiæ mea tota pecunia noſtræ:
Hæc in amicitijs eſt cruor, eſt anima.

Ad

Ad D. Iuris Conſultum
Scipionem Mariam Acatinum
Faticoſum Academicum,
IL VIGOROSO,
& Poeticâ
inter cæteros eius honores
inſignem.
De horæ mortis incertitudine.

Sancti Gregorij Papæ in Euangelia hom. 13.
ſententia eſt:
Horam vltimam Dominus idcircò voluit nobis eſſe incognitam; vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta; vt, dum illam præuidere non poſſumus; ad illam ſine intermiſſione præparemur.

DISTICHON.

CVr incerta ſit hora meæ, vult mortis? an optat,
Sit ſuſpecta, Deus, qualibet hora mihi?

DE EODEM ALIUD.

SEmper vt æternos mortalis cogitet annos;
Nunquàm certus erit, cùm moriturus erit.

De paupere, & auaro.

DISTICHON.

QVòd nihil eſt inopi; totum, quòd deſit auaro:
Sorte pari, ſemper, pauper, auarus, eget.

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

QVin puto ſit pauper, pauper minùs, àc ſit auarus:
Pauper, non ſemper: ſemper, auarus eget.
Ex Horatio lib. 1. epiſt. 3.

Amico me à ſtudijs auertenti.

DISTICHON.

NOn hucuſque ſatis didici, mihi crede: ſeneſco,
Addiſcens ſemper multa, fauente Deo.
Ex Solone.

DE EODEM ALIUD.

NOſcere nè valeam, quis ſim; nec noſcere, quis ſis:
Niteris à ſtudijs me remouere? Vale.

De ingratis, ad amicum.

DISTICHON.

SCire cupis, quid amas, ingratos, frater, amando?
Cum Plauto dicas: Nil ego prorsùs amo.
Ex Perſa Plauti act. 2. ſc. 2.

PSAL-

PSALMUS QUARTUSDECIMUS DAVID
Carmine Lyrico paraphraſticè explicatus.

ODE.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut, quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Qviſnam dignus erit, magne Deus, fulgida Regiæ
Aulæ tecta tuæ, quæ rutilo lumine ſydera,
Et Solem ſuperant, Cælicolis additus ingredi?
Quiſnam montis, vbi munificam tu, Deus optime,
Oſtendis faciem promeritis, culmina ſcandere,
Paciſque aptus erit perpetuæ munera conſequi?

Qui ingreditur ſine macula; & operatur iuſtitiam.

Ille, & non alius, ſydereæ ad gaudia Patriæ
Felix perueniet, qui maculis purus ab omnibus,
Præclaris animum iuſtitiæ cultibus induit.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua,

Nec fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit aduersùs proximos ſuos.

Ille hac ſorte frui dignus erit, qui pia dogmata
Expendens tacito corde, ſibi vera fidelitèr
Euoluit ſapiens aſſiduè, æternaque prouidens.
Huic ſincera dolis lingua carens, huic manus innocẽs,
Atq; inferre malũ eſt neſcia: frons huic grauis impro-
Qui famã maculant alterius, territat, & fugat. (bos,

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Hic, quæcunq; malos pompa viros, ac honor ambiat
Externus populi, ſpernit eos, & nihili æſtimat:

Rectos verò, Deum qui metuunt, quolibet angulo
Abiecti iaceant, obſequijs proſoquitur colens.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: & munera ſuper innocentem non accepit.

Hunc, ſi quando ſua interpoſito nomine Numinis
Firmet dicta, fidem ritè datam frangere perfidè
Non blanda vtilitas, non trepidus cōpulerit metus:
Non lucris vetitis huic auidè eſt aucta pecunia;
Nō accepta, bonos vt premeret, ſunt mala munera.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Hic eſt, hic igitur, qui ſtabili culmine maſculæ
Virtutis poſitus, iamque Dei, qua licet æmulus,
Poſt fata emeritum ſtelliferis arcibus inferet
Nullis turbinibus concutiendum vlteriùs caput.

In quendam de eius in Deum amore.

DISTICHON.

Cum dicis, quòd Numen amas, vix credo: quòd, (ignis
Eſt amor: in Numen vel tuus alget amor.

Ad illud Pilati penès Io: 18. 38.
Ego nullam inuenio in eo cauſam, &c.

DISTICHON.

Sic Chriſtum ſine labe Deum, Pilate, fateris:
Cùm ſolum cauſam neſcias Eſſe Dei.

De

De Mari.

DISTICHON.

TOt bibat, haud miror, Mare dulcia flumina: ſalſum eſt:
Illud inextinctâ flagrat & indè ſiti.

In Iudam Iſcariotem laqueo ſe ſuſpendentem.

DISTICHON.

SAt tibi ſit, fueris quod Chriſti proditor: idem
Nè, ſcelerate, velis proditor eſſe tui.

In eundem occumbentem in aere ſuſpenſum.

DISTICHON.

NOn terrâ Iudas dignus, non Axe putaris:
Inter vtrumque tibi conuenit ergo mori.

Lydius fortium lapis.

DISTICHON.

REbus in aduerſis fortes benè, credo, probentur;
Pulchriùs hos alij in proſperitate probant.

Ad Sanctum Zachariam S. Io: Baptiſtæ genitorem,

DISTICHON.

LInguam ſolue ſonis: ſiquidem decet eſſe loquentē,
A Verbo Vocis cui datur eſſe Patrem.

De

De homine fucato.

DISTICHON.

Alluditur ad Philippi Macedonum Regis dictum: *Fucato nè viro crede.*

F*Ucato nè crede viro: vel crede, quod ille*
Credi vult: alius quàm ſit, & alter homo.

In Iudæos IESUM Chriſtum conſpuentes.

DISTICHON.

S*Ordenti IESVM ſputo maculare ſtudete:*
Nunquàm Sol veſtras contrahet Hic maculas.

Ad D. Doctorem Bernardinum Gallignanum Collegij noſtri S. Antonij Mediolani Medicum doctiſſimum, & in arte ſua felicem.

DISTICHON.

C*Orpora ſic releuas morbis, cunctiſq; mederis;*
Hyppocrates ægris vt videare tuis.

De quadam animi incertioris vxore.

DISTICHON.

F*Alleris, haud leuis eſt mulier; leuis etſi habeatur:*
Hanc ſibi nam coniux aſſerit eſſe grauem.

Ad

Ad D. Ioſephum Antonium Caſtillionæum
Inſignis Collegiatæ S. Stephani Mediolani
Canonicum,
Academicum Faticoſum
IL CAVTO,
ſuauiorum, & grauiorum literarum ſtudijs,
vt ingenio, ſplendidiſsimum.

Cur veritas, alioquin in ſe tàm pulchra,
odium pariat?

S. Auguſtini lib. X. Confeſs. cap. 23. Sententia:
Amant homines veritatem lucentem; oderunt eam redarguentem; quia enim falli nolunt, & fallere volunt, amant eam, cùm ſe ipſam indicat; & oderunt eam, cùm eos ipſos indicat.

TETRASTICHON.

LVcet vbi verum ſibi; quisquis diligit illud;
Odit idem, à vero quando redarguitur.
Nempè ſuperbus homo ſibi ſe verum indicet vni
Vult, nè fallatur; fallere at ipſe queat.

DISTICHON DE EODEM.

NOn homo vult falli, ſed fallere: corrigis? egrè
Fert verum: laudas? tunc placiturus eris.

Quidam pacis inter amicos perturbator
Poetico Prouerbio reprehenditur.

DISTICHON.

NAs inter fluctus lætus: nè ſis ità lætus:
Et nantem fluctus in fera ſaxa ferunt.

Ad Magos Reges.
Inuenerunt puerum cum MARIA, &c. Matth. 1.
Alluditur ad illud ſapientiſsimi Idiotæ
in Prol. de Contemplatione B. V.
Inuentâ Virgine Mariâ, inuenitur omne Bonum.

DISTICHON.

EN Puer: ecce Maria, Magi: cor ſiſtite amantes,
Hac ſimul inuentâ, ſcilicèt omne Bonum.

In quendam verſipellem.

DISTICHON.

SCis, neſcis: ais, atq; negas, quaſi tempore eodem:
Duplex, *non ſimplex, iure putaris homo.*

Ad Sanctum Gallicanum Martyrem,
Virum Conſularem,
in egenos maximè generoſum, & ſplendidum.

DISTICHON.

SI quandoq; ſtatum quisquam exoptauit egenum,
Tunc fuit, omnigenam te tribuente ſtipem.

Auctor horologium rotarium inſpiciens.

DISTICHON.

ITque, reditq; ſtylus feriens in cyclade punctum:
Quodlibet an vita temporis ille mea?

Ad

Digitized by Google

Ad amicum.

DISTICHON.

INtrâ te viuas: nec te quæſiueris extrà:
Vni te diſces viuere poſſe Deo.
Ex Aulo Perſio Satyra 1.

In corde S. Ignatij Martyris repertum eſt IESV Nomen inſculptum.

DISTICHON.

GVtta cadendo cauet lapidem: meditatio IESV,
Pulchriùs aſt homini cor, repetita, cauat.

Luſori, ob perditam pecuniam omnem, blaſphemanti.

DISTICHON.

HOc eſt, crede mihi, poſt omnia, perdere naulum,
Cùm timor in ludi perditione Dei eſt.
Ex Iuuenali Satyr. 8.

Cuidam peſsimè vxorato,

DISTICHON.

CVm domi habes Helenam, nè credas, Troia quod (abſit)
Ni pellex abeat, proximus ignis erit.
Ex Seneca in Agam. act. 4.

D. Ioſepho Comiti Simonettæ
maximæ pietatis, & prudentiæ
Equiti,
qui vtramque in publicum beneficium
quotidiè impertiri ſolet
Reſpondetur,
quarè non ita ſæpè videantur miracula?

DISTICHON.

RAra iuuant: *ideò fiunt à Numine mira*
Raro: nam maius rara iuuamen habent.
Martialis lib. 4. Epig. 24.

In amici gloriæ hoſtem.

DISTICHON.

V*Nus vt à curſu nauim non ſiſtere pollet:*
Sic tu, nec famam ſiſtis, inique, meam.
Ex Mart. l. 17. ep. 91.

Chriſtianæ alicuius preces ad implacabilem
inimicum.

DISTICHON.

T*E rogo: parce mihi: veniam concede roganti:*
Ni velis, haud timeo: quod potes, ergo velis.

Ami-

Amico dicit Auctor cauſam,
cur nullâ terrenâ conſolatione fruatur?

DISTICHON.

PLus aloes, quàm mellis habet *mundana voluptas*:
Nullus amaritiem ſenſus amare poteſt.
Ex Iuuenali Satyr. 6.

Ad D. Balthaſarem de Roſales
Vailati Comitem, &c.
Faticoſorum Academiæ Principem, &c.

DISTICHON.

SIt fabella, Roſam pro ſydere in Axe micare;
Semper erit verum, ſit tua digna Polo.

In Quintianum
S. Agathæ Virgini mamillas amputari
imperantem.

DISTICHON.

ABſciſſiſne putas Agatham terrère mamillis?
His illam priuans, tu facis eſſe virum.

In aliquem, Alexandrum Nomine,
mole corporis magnum, animo paruum.

DISTICHON.

MAgnus Alexander fuit olim corpore paruus:
Magnus hic eſt alter; paruus at alter hic eſt.

Ad amicum irrequietum.

DISTICHON.

(nusquàm:
HIc te conuenio; fugis: illic: & fugis; es mihi
Semper es in motu: fortè planeta nouus!

Optimi viri, ex infortunio, in peccatum lapſi, ad animæ ſanitatem redeuntis ſenſus.

DISTICHON.

PEccaui ſemel; at nimius fuit vnus vt error:
Culpa ſat vna: ſemel ſat periſſe fuit.
Ex Æneid. Virg. IX.

Martyres ad Chriſtianæ Religionis tyrannos.

DISTICHON.

MArtyres en nudi: ſpoliatis arma ſuperſunt;
Queis nequit vllus homo nos ſpoliare, Rides.
Ex Iuuen. Satyr. 8.

Ad Cauſidicum Amicum.

DISTICHON.

VT ferò miles clypeum poſt vulnera ſumit;
Amiſsâ causâ, te ratione tegis.
Ex Ouid.

De perpetuis diaboli tentationibus.

DISTICHON.

Aſſiduos offert contra Phlegetonta triumphos;
Permittit quotiès prælia crebra Deus.

PSAL-

PSALMUS QUINTUSDECIMUS DAVID Carmine Elegiaco paraphraſticè explicatus.

Conſerua me, Domine; quoniam ſperaui in te.

Vera ſalus Mundi, tot me defende periclis,
Quæ genus humanum per fera damna trahunt.
In bonitate tua mihi ſpes fuit integra gnato:
Hanc foui, hanc foueo, hanc opto fouere, Pater.
Dixi Domino: Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.
Te Dominum reor eſſe meum; quacunque beatus
Parte; nequis noſtris diues egere bonis.
Sanctis, qui ſunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.
Supremo placuit Genitori velle *beatis*
Ipſius *in terra mirificare* meum.
Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſteà accelerauerunt.
Horum nempè priùs non crimina pauca fuere:
In quibus implicitos me reparaſſe liquet.
Vt defecerunt vitijs: idola colentes,
Effinxere ſibi, quot voluere, Deos.
Indè Redemptoris ſenſere remedia; &, illis
Adiuti, errorum depoſuere moras.
Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.
Ipſorum verò conuentus lege timoris,
Seu veteri, ſoluens; vinciam amore, nouâ.
Tali autem ſtatuam rem cum pietate; priorum
Vt ſcelerum, ac adipum nec memor eſſe velim.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

Hæres ſum Domini, Deus eſt mea portio tota:
Indè homo viuo, bibo, paſcor, & indè beor.

Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Tuque, Pater Diuine, dabis, ſim ſemper vt hæres
Illorum, quæ in Adam perdidit omnis homo.

Funes ceciderunt mihi in præclaris.

Quàm bona, ſumme Pater, mihi ſtat partitio! funes
Optatæ ſortis nam cecidere mihi.

Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Sit præclara tuo hæredi pars contigit: hæres
Sic melioris ego partis in Orbe fui.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.

Propterea Domino decus immortale ſit; illa
Quòd benè percepi, quæ peragenda mihi.

Inſuper, & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Immò, quòd & fuerim ſuccenſus amore; ſalutis
Vt per me humanæ perficeretur Opus.

Prouidebam Dominũ in conſpectu meo ſemper.

Iugitèr hinc Domini mandata reuoluo Redemptor;
Nè minùs iniuncto perficiatur Opus.

Quoniam à dextris eſt mihi, nè commouear.

Vel magis hæc cordi mihi res immota ſedebit;
Auxilio Genitor nam mihi ſemper eris.

Propter hoc lætatum eſt cor meum: & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Cor patiens ideò pulſabunt gaudia: lingua
Exultabit: erit ſpene quieta caro.

Quoniam non derelinques animam meam in Inferno; Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Tem-

Tempore nec longo linques animam in ſinu Abrami;
Nec fiet cinis; aut putre cadauer erit.
Notas mihi feciſti vias vitæ.
Quin, iter ad vitam reſeraſti; vt tutus ad illam
Iam mecum ſaluus pergere poſſit homo.
Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.
Lætitiâ tandèm me tùm cumulabis in Axe:
Electos facies eſt vbi quosque beans.
Delectationes in dextera tua vſque in finem.
Porrò tuâ in dextrâ nunquàm iucunda voluptas
Occidet; aut veri copia blanda boni.

De IESU ad columnam flagellato.

DISTICHON.

EN! rubuiſſe viden IESVM cædentia flagra!
Vnà carnifices non rubuiſſe viden!

Quàm pauci attendant ſibi.

DISTICHON.

QVisquis in alterius rem lumina dirigit: vllus
Vix propriam in propria rem videt hiſce domo.
Ex Io: Cardinali Bona.

Aliquis ex ardentioris Solis radijs cæcus factus.

DISTICHON.

COnſpiciens Solem ſua lumina perdit amicus:
Quam nobis gignit, Sol rapit ergo diem.

In

Digitized by Google

In Iudam Iſcariotem, propter eius propoſitionem ex auaritia:
Quid vultis mihi dare; & ego vobis eum tradam? Matth. 26. 15.

DISTICHON.

A*Vdio quid, Iudas? Theſaurum, ſtultus auarus,*
Nè vili pretio vendere quære, Deum.

Ad Patrem D. Ludouicum Mariam Vicecomitem Clericum Regularem,
Domûs noſtræ S. Annæ Mediolani Præpoſitum,
meliores, tùm in ſe, tùm in alijs Virtutes,
admirabili benignitate,
diligentèr nutrientem.

Super viuere, & mori.

DISTICHON.

Alluditur tum ad illud 2. Regum 14. 14.
Quaſi aquæ dilabimur in terram, tùm
ad illud Eccleſiaſtici 41. 1.
O mors, quàm amara eſt memoria tua, &c.

Q*Vò trahimus vitam, quaſi dulci flumina lapſu,*
Imus: amaritiem mors-velùt æquor habet.

Locu-

Locupletes, & miſeri.

DISTICHON.

PAupertas inopes cruciat; tamen æqua, meméto,
Diuitibusq; ſuam Fata dediſſe crucem.

In quendam fucatum iuuenem.

DISTICHON.

VTraq; mentitur gena, crinis, densq;, labrumq;:
Ni tua mentitur lingua, ſtuporis erit.

Ad DEI Genitricem MARIAM Virginem ſiſtentem in Templo, in die Purificationis, duos pullos Columbarum. Lucæ 2. 25. Alluditur ad illud: *vna eſt Columba mea*, &c. Cant. 6. 8.

DISTICHON.

NOn debes, quia Virgo, duas offerre Columbas;
Vis tamen? vna ſat es, chara Columba Deo.

SEU.

VIrgo caue, Templo geminas offerre Columbas:
Quæ ſatis vna Deo, pulchra Columba, places.

Ad Marchionem D. Pyrrhum Vicecomitem
Doctorem Collegiatum, &
è ſexaginta Ciuitatis Mediolani Decurionibus,
Academiæ Faticoſorum
Propriucipem VI.
non tàm Genere, quàm Virtute
præcipuum.

De natiuitate, & morte.

DISTICHON.

ORtus, an interitus melior ſit in Orbe, requiris?
Mors aderit melior, quos bona vita manet.

ALIUD OPPOSITUM.

ORtus, an interitus peior ſit in Orbe, requiris?
Eſt mors peior iis, queis mala vita fuit.

De quadam filia matrem imitante.

DISTICHON.

SI, qualis pater, *eſt* talis *quoque* filius: *ergo*,
Qualis erit mater, filia talis erit.

Quidam cæcus
nouum probandum eſſe amicum
ingenioſè monet.

DISTICHON.

TE niſi contrectem, te non cognoſco: quòd expers
Lucibus, haud videam, qualis amicus ades.

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

EXoculatus ego, te nondùm oculatè probaui;
Nec tua quid doceat frons, tua lingua, manus.

Harchiæ Philoſophi dictum:
Periculoſius eſt propriam amare opinionem, quàm fœminam.

DISTICHON.

FOemina num peior, vel opinio propria amata?
Peior ab egregÿs hæc reputata viris.

ALIUD DE EODEM.

INdè pericla manent maiora, ſi opinio ametur
Noſtra: quòd eſſe parens peſſima ſæpè ſolet.

De Principe nimis clemente.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Senecæ in Troade, tragœd. 6. act. 2. ſcilicèt:
Qui non vetat peccare, cùm poſſit, iubet.

NAm mala non punit Princeps, fouet: ad minùs (illa
Permittit: ſic fit cauſa vtrobique mali.

Ad

Ad Chriſtum Dominum aſpiratio.

DISTICHON.

ES tu, Chriſte, caput: ſumus omnes membra fide- (les:
Quàm tuus à nobis ſpiritus vnus abeſt!

De locuplete ſtulto, vel ſapiente, Reſponſio ex Seneca ep. 15.

DISTICHON.

QVis diues ſit ſtultus, quis ſapiens? ſcio: ſtultus,
Eſt ſeruus: ſapiens, eſt dominator opum.

Ad illud Plinij l. 2. *Non aliud eſt terra vniuerſa, quàm Mundi punctus.*

DISTICHON.

TOta quid eſt tellus? eſt punctus ad Æthera: pun- (cto
Deceptus quotiès Æthera perdit homo!

De iudicio, parte aliquâ inauditâ.

DISTICHON.

PArtibus attentas iudex ſi deneget aures;
Hic benè non audit, peiùs & alloquitnr.

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

NI audierit Iudex partes, non iudicat æquus:
Os vtriuſque auris teſtificantis eget.

Canit enim Seneca in Medea tragœd. 7. act. 2.

Qui ſtatuit aliquid, parte inauditâ alterâ,
æquum licèt ſtatuerit, haud æquus fuit.

De Romano quodam negotiatore mortuo.

DISTICHON.

IRrequietus erat: poſt Fata quieſcat oportet;
Nè dicatur adhùc irrequietus homo.

Interroganti, quis felix?

DISTICHON.

QVis felix ſit, ſcire cupis? qui, paſſibus hærens
Omnibus, in finem lumina mentis habet.

Ad Sanctum Antonium Patauinum,
qui miſſum ab Ezelino Tyranno aurum recuſat.

DISTICHON.

TE purum Cæli nullus non prædicet aurum:
Terræ aurum en probat: eſt Lydius iſte lapis.

Con-

Conſilium Aulico.

DISTICHON.

OMnia vis? ſuffer: ſis opportunus; habebis
Hiſce, ſuo tandèm tempore, cuncta modis.

Quis, ob ingratos amicos, dolori indulgens deſcribitur.

DISTICHON.

SIc hucusque, miſer, benè deſeruiuit amicis:
Ter malè ab ingratis viſus amicus amans

Philoſophi
ad Alexandrum Magnum
Sententia.

DISTICHON.

REbus in humanis magnum nihil eſſe putandũ eſt;
Magna niſi maior deſpiciens animus.

Ad amicum
de famulo recentèr ad eius ſeruitia admiſſo.

DISTICHON.

NOn miror, ſit homo bonus is, quem nupèr auebas
Seruum, nam tiro ſemper homo bonus eſt.
Ex Mart. l. 12. ep. 47.

Ad

Digitized by Google

Ad D. Georgium Saluaterram
Marchionem, &c.
Faticoſum Academicum,
L'APPLICATO,
humaniſsimum, & ſciens Caput.

De ſcriptura, & pictura.

S. Gregorij Nyſeni lib. 9. epiſt. 9. dictum:
Quod legentibus ſcriptura; hoc idiotis præſtat pictura cernentibus: quia in ipſa, etiam ignorantes vident, quod ſequi debent: in ipſa legunt, qui literas neſciunt.

DISTICHON.

QVod præſtat gnaris ſcriptura legentibus: ipſum
Scripturæ ignaros picta tabella docet.

Imaginem
Pueri IESU
inter duos Angelos dormientis
contemplans cum nonnullis amicis Auctor.

EPIGRAMMA.

CVm ſopor obſeſſos mortales poſſidet, iſtis
Aſtutus peragit tunc ſua furta latro.
Sortem opportunam capiamus: dormit IESVS,
Qui terræ gazas ſeruat, opesque Poli.
Diuinum gremium fletu, gemituque petamus:
Clàm veras illic ſurripiamus opes.
Aligeros vigiles, qui proni Numen adorant,
Non timeamus: ij nam pia furta iuuant.

Mula,
vbi defunctum B. Gregorium de Veruculo
Ariminenſis Diœceſis
è ſacro Eremitarum S. Auguſtini Ordine
geſtauit, ſtatim occumbit;
ut habet P. Torellus in Sæculis Auguſtin.
Chriſti anno 1343.

DISTICHON.

QVid ſubitò moritur, poſtquàm te mula, Beate,
Geſſit? an agnouit, quod nimis auſa fuit?

Nobili, & Sapienti Viro
D. Ioanni Baptiſtæ Doctori de Boſellis
ſororio ſuo dulciſſimo
Reſpondet Auctor:

An plures mares, vel fœminæ inter homines
naſcantur?

TETRASTICHON.

Alluditur ad Philoſophi ſententiam,
qui de gener., & alibi ait:
Naturam magis incumbere ad perfectiora
producenda.

FOemina, vel mas an mage multiplicetur in Orbe,
Poſcis? Naturam ſi meditere, ſcies.
Inquit Ariſtoteles, faciendis quod vacat iſta
In mage perfectis rebus: ideſt maribus.

Cui-

Cuidam Academico Faticoſo.

DISTICHON.

EXtolli cupiens, cœpto nè cede labori:
Euexit multos, ſorte vel hoſte, labor.

Ad D. Ioannem Raymundum
Comitem Marlianum
è ſexaginta Mediolani Decurionibus, &c.
veris æquè optimi Equitis legibus,
atque opportunâ eruditione
egregium.

De Sancto Ioanne,
qui Euangelium ſuum à Diuino Verbo exorditur.

DISTICHON.

Alluditur ad eius Symbolum, nempè Aquilam: nec non ad id, quod S. Hieronymus ſcribit contra Iouinian. l. 1.

Ioannes verò noſter, quaſi Aquila ad ſuperna volat; & ad ipſum Patrem peruenit, dicens: In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum.

DIuinum ſubitò pennâ cùm migret ad Aſtrum,
Supremi volucrem ſe probat eſſe Iouis.

Digitized by Google

Ad N. N. maximum Virum magnâ auctum dignitate.

DISTICHON.

OBtinuiſſe pares meritis eſt gloria honores;
His tibi maior honos, eminuiſſe manet.

In nubere volentem pulchræ, ac ſuperbæ fœminæ.

DISTICHON.

QVam cupis, haud placet hæc virgo, nimis illa ſu-(perba eſt:
Eſt ſemper fumo proxima flamma, ſcias.
Ex Curculione Plauti act. 1. ſc. 1.

Aſtrologum interroganti de futuris.

DISTICHON.

PRæteritos recolas euentus: indè futuros
Tu facili poteris dinumerare modo.

In mendacem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Senecæ in Hercule Oetheo act. 2. in fine chori.

licèt ipſe neges,
vultus loquitur quodcunque tegis.

QVod lubet effundas: tibi non ego credo neganti:
Ecce tuus vultus, quod tegit, omne refert.

Viro

Viro docto,
qui multa bona opera,
propter ſenectutem ſuam, facere ſe non poſſe
dolet.

DISTICHON.

Alluditur ad illud ſacrorũ Theologorum dictum:
Apud Deum voluntas ſtat pro facto.

CVm ſtet apud Dominum pro facto velle: quid in- (quis,
Plurima quod nequeas? ſi velis, illa facis.

D. Caroli Mariæ Maddij
Mediolanenſis Senatûs à ſecretis.
Academici Faticoſi, & Poetæ notiſsimi
Funus.

DISTICHON.

NOn obijt Vates: corpus latitare ſepulchro
Paſſa; eius Nomen fama perenne canit.

De corporeâ pulchritudine.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Poetæ:
Pulchris ſtare diù Parcarum lege cauetur.

VIta quid à Parca pulchris diuturna cauetur?
Flos eſt forma, uti flos, conuenit, illa cadat.

Podagroſi dictum de otio ſuo defenſum.

DISTICHON.

Alluditur ad Publij Syri reſponſum.

IVre podagroſus ſua fertur in otia triſtis:
Quod mage ſint reliquis illa moleſta ſibi.

In Nobilem ignarum doctos viros perſequentem.

DISTICHON.

NE temnas doctos; ſed amore, & honore parenta,
Queis clypeo, & galeâ Pallas amica fauet.

De Fame.

DISTICHON.

SAcra fames: vitium perimit: dapibusq; ſaporem
Fert: addit vitam: mortis & arma domat.

De Iudice vitijs obnoxio.

DISTICHON.

ISte regit populum: Aſtreæ regit iſte bilances;
Sed regitur vitijs: rectus hic eſſe nequit.

Ad

Digitized by Google

Ad P. D. Caietanum Magenis
Clericum Regularem
dicendi, & ſciendi facultatibus,
ſicùt & Religioſis moribus
cultum;
inſignem autem
Immaculatæ Conceptionis
Beatæ Virginis MARIÆ
cultorem.

De Baptiſmate eiuſdem Virginis MARIÆ
in Iordane.

TETRASTICHON.

PVra magis, quàm lux; qua labe lauaris? Adami?
Sis licèt orta ab Adam, Mater es alma Dei.
Ah! reliquos omnes Baptiſmo agnoſcit egere:
Exemplo his, quamuis munda, præire ſtudet.

DE EODEM DISTICHON.

NOn maculas Virgo lauat in Iordane: Parente,
Sed ſit vt ablutâ, gratior vnda Deo.

In laſciuum ſuo in ſcelere pertinacem,
poſt terribilia etiam in eundem enarrata.

DISTICHON.

IN caſſum vox noſtra ſonat: conuertere: *bis, ter*
Replicat; at fruſtrà: cor Pharaonis habes.

ALIUD DE EODEM.

IN *quemcunque ſonat peccantem concio noſtra:*
Tenditur *vna tibi de ſtyge* chorda ſonans.

De trinâ Sancti Petri Apoſtoli negatione.
Matthæi 26. 70.
Eiuſdemque Apoſtoli Chriſtum amantis confeſsione. Io. 21. 15.

DISTICHON.

T*Er Petrus Dominum negat: & ter amare fatetur:*
Compenſatne ſuum Petrus amore nefas?

In Principem vitijs ſubditum.

DISTICHON.

E*St in ſe magnum, vitium;* conſpectius in te
Eſtque tuum, *quò tu maior in Orbe Vir es.*
Ex Iuuenali Satyra 8.

Parenti planè in iuuenem filium indiſcreto.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Nec tellus eadem fert omnia.

NEc tellus eadem fert omnia: *parce iuuentæ;*
Maturoque ferax tempore plura feret.

Sanctus

Sanctus Leo Papa huius Nominis Secundus
ijs, qui Sancto Miſſæ interſunt Sacrificio,
nonniſi poſt *Agnus Dei, qui tollit*
peccata Mundi, &c
dandam pacem iniungit.

DISTICHON.

NOn modò pacificus, ſed pacifer Agnus: ab Agno,
Vt Leo vult, populus nuncia pacis habet.

Ad P. D. Ioſephum Mariam Trincherium
Clericum Regularem,
Virum, tùm in ſeuerioribus,
tùm in iucundioribus diſciplinis verſatiſſimum.

De ligno Sanctæ IESV Chriſti Crucis;
quod aliqui, etiam è Sanctis Patribus,
ex Cupreſſu, Palma, & Cedro,
addito ab alijs titulo ex Oliuâ;
Alij verò, cum Alphonſo Ciaccone,
libro de lignis S. Crucis c. 30.
ex Quercu fuiſſe dicunt.

TETRASTICHON.

NOn ex Cupreſſu, Cedro, Palma, vel Oliuâ
Crux IESV fuit; hinc nè pretioſa foret.
Ex Quercu fuit: vt pretium deſumeret omne
Cunctorum à Domino, quem tulit illa ſinu.

De

De eodem argumento.

DISTICHON.

Non Quercu, aut Palmâ, Cupreſſu, Oleâq; , Cedroque;
Sed Vitæ ligno Crux fabricata fuit.

Reſpondetur Filio ſpirituali.

DISTICHON.

Cur nunquàm liceat mentiri, poſcis? ob iſtud:
Mentiri, in verum militat Eſſe Dei.

ALIUD DE EODEM.

Mentiri, res eſt ſemper contraria vero:
Si Verum neſcis, ergo nec Eſſe Dei.

Iob vitæ ſuæ breuitatem per ſimilitudines ſic cap. 9. exponit:
Dies mei velociores fuerunt curſore, &c.
Pertranſierunt quaſi naues, &c.
Sicùt Aquila volans ad eſcam, &c.

DISTICHON.

Veliuolæ naues, Aquilæ, curſorque poteſtis
Exæquare meos in fugiendo dies?

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

PLus curſore, & naue dies, quin Alite ad eſcam
Veloces Phrygiâ, Iob tibi credo, volant.

Cuidam inſolentèr glorianti, ob ſpectatiſsimum Virum à ſe depreſſum.

DISTICHON.

Ex Virgilio 2. Æneidos.

QVondàm etiam victis redit in præcordia virtus:
Sæpèq; ſors ſummam vertit ad ima rotam.

Ad Virtute clariſſimum ſe abſcondentem.

DISTICHON.

TE cæles: Virtus te pandit: Solis ad inſtar,
Qui, nebulas inter, non latitare poteſt.

In quendam amicum ab amici monitis abhorrentem.

DISTICHON.

SI verum dico tibi, non placeo: mihi falſum
Nec placet; eſſe volo gratus vtrique, tacens.

Digitized by Google

Ad D. Ioannem Caymum
Origine, eruditione, moribus
Nobilem.

De Arte, & Fortunâ.

Diluitur Ariſtotelis ſententia lib. 6. moral. cap. 4.
dicentis:
*Quodammodò circa eadem verſatur
Ars, & Fortuna.*

DISTICHON.

*CIrca eadem ſolers Ars, & Fortuna pererrat:
Vtraque moliri nam noua ſemper habet.*

Aliquis in medendo corpore totus,
monetur ex Iuuenalis Carmine, in Satyra 10.

DISTICHON.

*ORandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano:
Sit priùs illa tibi corpore ſana, roga.*

S. Sidonius Aruernenſis Epiſcopus,
Vates
à quacunque, vel minimâ, pangendi libidine
immunis.

DISTICHON.

*SIdonius Vates fertur caſtiſſimus: omnis,
Sidonij vt viuat more, Poeta, precor.*

Fa-

D. Fabio Oliuerio
Summi Pontificis Clementis XI.
à Breuium ſecretis,
Prælato,
ob vitę integritatem, doctrinam,& benignitatem,
aliarumque Virtutum plurium præſtantiam,
in Romana Aula, exteriſque in Prouincijs
acceptiſſimo.

Meditatio Moralis

De Æternitate.

ELEGIA.

Dicat vt Æternum mea Muſa, repoſcit Apollo?
Æternum quid ſit, protinùs illa canit.
Nè tamen excedat noſtram ſententia mentem,
Huius ad exèmplum ſerpere gaudet humi.
Æternum mihi ſcrutanti nihil eſſe videtur,
Ac Inſtans, quod non auolet; at maneat.
Nil ſecat Æternum: nihil iſtud diuidit Inſtans:
Firmitèr eſſe ſuum ſemper vtrumque tenet:
Luſtraque iungantur luſtris, & ſæcula ſæclis:
Sunt hæc Inſtanti non pereunte minus.
Attamen hoc hominũ nullus contemnat, vt Inſtans:
In minimo claudit tempora cuncta ſinu.
Aduersùs Mundum, carnem, ſtygioſque rebelles
Victor, in hoc Inſtans qui meditatur, erit.
Inſtans, quod non prætereat, penetralia vaſta
Ah! tegit: ah! pateant ſi mihi; ſaluus ero:
Nam mea ſic peccata fleo: nec in illa relabor:
Omni me quamuis ſolicitante malo.

Immo-

Immorer hîc ſtabilis : valeat quæcunque voluptas :
Hanc mihi nolo : alijs rideat iſta diù.
Gaudia ſola placent Inſtantis ſemper habentis
Mecum conſtantes, Axe fauente, moras.
Hinc abeat quicunque timor fugientis Auerni :
Si fugit, haud eſt ſtyx, ſtyx ſtyge flebilior.
Horreo tantū Inſtans, quod permanet : hoc quia mō- ſtrat
Æternum; cruciat me Phlegetonte magis.

Ad Superiorem alicuius ſacri Ordinis Religioſum.

DISTICHON.

Alluditur ad Solonis Salaminij vnius è ſeptem Græciæ Sapientibus aſſertionem, ideſt:
Diſce, priùs, quàm imperes, alterius imperio parère; nemo enim benè imperat, niſi, qui imperio obſequi didicerit.

SVbditus eſto bonus, ſi vis bonus eſſe Gubernans :
Id benè qui didicit, non reget ille malè.

IESVS Chriſtus ſpinis coronatus.

DISTICHON.

INnocui ſpinæ circumdant tempora Adami!
Ferte roſas; nocuus legit; & haſce tulit.

Digitized by Google

De eodem argumento.

TETRASTICHON.

SEd quid? vbi vepres fixerunt tempora IESV,
Indè ſalutares mox nituere roſæ.
Nempè Redemptoris rubuit cùm ſanguine ſpina;
Primi ſanauit vulnera facta Patris.

De quodam pio Rege inuicto,
pluribus licet ab hoſtibus tentatus.

DISTICHON.

CVm paucis vicit, multis vincendus ab armis:
Non fuit hoc hominis: Numinis eſſe putes.

Sanctus Polycarpus
Smyrnæ Epiſc. per B. Io: Apoſt. eius magiſtrum
ordinatus,
populo aduersùs eundem in theatro perſonante,
inijcitur Martyr glorioſiſſimus in flammas.

DISTICHON.

PErſonat, vt Diuum populus dat terreus igni;
At magis Æthereus, carpit vt ille Polum.

Nihili ſui argumenta Auctor exponit.

DISTICHON.

QVomodò non humilis viuam? ſine Numine quan-(do,
Vel Nil ſum; culpis vel mihi corda ſcatent?

Ad

Ad DEVM affectus
poſt ſuſceptam Sanctiſſimam Euchariſtiam.

DISTICHON.

FActus amore mei totus meus es, Deus: ergo
Cur non fio tuus totus, amore tui?

Imago
Beatiſſimæ Virginis MARIÆ
triplici cum Stellarum corona pictæ.

DISTICHON.

ANtè quòd: in partu: & poſt partum Virgo re-(fulſit,
Aſtrorum triplex hinc diadema refert.

In IESV Chriſti morte
tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.
Matth. 27. 45.

DISTICHON.

QVid tenebræ Mundum ſubeunt? vel funera Lucis
Exornant; vel agunt, vt magis illa micet.

ALIUD DE EODEM.

FVnera luminibus decorari ſueta, tenebræ
Nunc decorant? funus Luminis iſtud erat.

De ingenio, & experientiâ, ad amicum.

DISTICHON.

TE regat ingenium; meque experientia ducat:
Plùs tutâ; quàm tu, me reor ire viâ.

Ad Sanctum Hermenegildum Viſigothorum Ariani Regis filium, Patris iuſſu, pro Catholica fide occiſum.

DISTICHON.

PAtre minùs, ſtygijs quamuis videaris abhorrens
Sceptra Soli; Cælis plùs Genitore ſapis.

Super verba Sancti Leonis Papæ ſerm. 2. de Paſſione: *Dignum eſt, temporalibus non occupari, ad æterna tendentes.*

DISTICHON.

TEndis ad æternam Patriam: num terra caducis
Dedecet vt ſenſus occupet ergo tuos?

DE EODEM ALIUD.

TErrena abijcias, ſi vis æterna mereri;
Non benè conueniunt inſimul Aſtra, lutum.

Digitized by Google

Ad D. Marcellinum Cotium
Iuris Conſultum Mediolani Collegiatum,
Aduocatum Conciſtorialem in Ciuitate Romæ,
Præſatum,
qui Maiorum ſuorum decora
literis vnà, & Virtutibus,
magnificentiis illustrat.

TETRASTICHON.

PAſtor erat, primam Romam qui condidit: Vrbem
Nunc ſummus condit Paſtor; eamque regit.
Quàm benè Paſtor ibi! Fidei vt ſeruetur Ouile:
Semper vt infidos arceat indè lupos.

S. Diſmas latro cum IESU Chriſto
Cruci affixus.

DISTICHON.

QVi viuens prædator erat; moriendo beatur:
Et benè nonnunquàm, qui malè vixit, obit.

De eodem ad improbum.

DEſperare, latro, noli: præſumere noli:
Saluatur Diſmas; attamen vnius hic eſt.

In

Digitized by Google

In Poëtam ineptum.

DISTICHON.

NOn miror, ſapiant ſalibus tua carmina nullis;
Quippè tibi non eſt mica, vel vna, ſalis.

Sanctus Petrus Martyr
è ſacro P. P. Prædicatorum Ordine,
cùm ab hæretico, ob Catholicam Fidem,
interimitur,
Apoſtolorum Symbolum ſanguine proprio
exarat.

DISTICHON.

HÆreſis vt rubeat; vel, vt exhorreſcat; in iſtud
Conijciat ſpeculum lumina, Petre, tuum.

ALIUD DE EODEM.

SIc Petrus firmat Fidei documenta; ruborem
Signat vt hæreticis ſanguine ſcripta Fides.

Sanctus Sebaſtianus Martyr
telis vndique confoſſus.

DISTICHON.

IN me ſic rabies conſumpſit acerba ſagittas;
Vt deſit ſpatium vulneri inane novo.

Georgij Buchanani Scoti
impuri Poetæ,
De Monachis
antiquiſſimam S. Antonij Abbatis Regulam
profitentibus.

EPIGRAMMA.

Diceris, Antoni, porcos pauiſſe ſubulcus
Viuus, adhuc Monachos lumine caſſus alis.
Par ſtupor ingenij eſt, ventriſq; abdomen vtriſque:
Sorde pari gaudent, ingluuieque pari.
Nec minùs hoc mutum pecus eſt, brutumq; ſuillo:
Nec minùs inſipidum, nec minùs inſipiens.
Cætera conueniunt; ſed non leuis error in vno eſt:
Debuit & Monachis glans cibus eſſe tuis.

Eiuſdem fragmentum
Alterius Epigrammatis, cui titulus:
Fratres Fraterrimi.

Cum Monachi Fratres ſint, quos, vel candida veſtis;
Vel nigra; vel gemino mixta colore tegit.
Quanta tamen miſeros agitat diſcordia Fratres,
Quam non fraternæ fœdera pacis amant?

Prædicta Buchanani Carmina inuerſa.

EPIGRAMMA I.

Pauerit in campis porcos Antonius: illos
Non alit in Clauſtris; ſed proba caſtra virûm.
Tu Tu pauiſti porcos mortalis: & illos
Paſcis adhùc, ſenſus *nempè, Poeta ſtygis.*

Num

Digitized by Google

Num patet? obſcœnis aluiſti verſibus omnes;
Commiſcendo malum, peſſimus arte, bono.
At redeo: haud ſtupor eſt porcis, & ſenſibus impar:
Sorde pari gaudent, ingluuieque pari.
Nec minùs hoc ſenſûs pecus eſt, brutumq; ſuillo:
Nec minùs inſipidum, nec minùs inſipiens.
Cætera mitto: tuo mea muſica ſenſui inhæret:
Debuerat guſtûs glans cibus eſſe tui.

EPIGRAMMA II.

SVnt Monachi Fratres, quamuis, vel candida veſtis;
Vel nigra; vel gemino mixta colore tegat.
Nulla nec innumeros agitat diſcordia Fratres,
Vtpotè fraternæ fœdera pacis habent.

In Buchananum.

DISTICHON AD I. EPIGRAMMA.

PArcos pauit, non porcos Antonius: Orci
Tu paſcis porcos, Bucca canina, *tuos.*

In hominem peſſimè viuentem.

DISTICHON.

STultè ludis homo: certum, æternúmq; quòd à te
Pro breui, & incerto luditur omne bonum.

Inueniſti enim gratiam apud Deum. Lucæ 1. 30.
Hugo Cardinalis hîc: *Quia non ſibi ſoli MARIA retentura erat gratiam; ideò Angelus dixit: Inueniſti, &c.*

DISTICHON.

INuenit: at Virgo non poſſidet vna fauores
Quosque Dei; hos noſtro fundere ſueta bono.

Senecæ Sententia:
Non ſentire mala ſua, non eſt hominis; non ferre, non eſt viri.

DISTICHON.

NOn ſentire mala, aut non ferre, quid illud, & hoc (eſt?
Illud, non hominis: non opus, hocce, viri eſt.

Diuitiæ *Spinæ*
ex S. Gregorio Papa hom. 15. in Euang.
vbi habetur:
Quis enim mihi vnquàm crediderit, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem? maximè, cùm illæ pungant, iſtæ delectent; & tamen ſpinæ ſunt: quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant; & cùm ad peccatum vſque pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.

DISTICHON.

SI paupertatem tribuli, tribulatio pungunt;
Spina locupletum pungit vbique fibras.

ALIVD

ALIUD DE EODEM.

PAuperies inopem ferit hinc, ferit indè moleſtè;
Figitur at ſpinis diues vbique feris.

In quendam.

DISTICHON.

TV peior, falſas qui cudit in ære monetas:
Nam tu falſificans, falſiloquusque mihi es.

Mater è Purgatorio ad prolem.

DISTICHON.

AH! matris miſerere tuæ patientis in igne:
Cor tibi, materni eſt ſanguinis: affer opem.

ALIUD DE EODEM.

AH! miſerere tuæ patientis in igne parentis:
Nè credant homines, me peperiſſe tigrem.

De ſuauiſſimo Regum Auſtriacorum
in Italia Regimine.

DISTICHON.

VT fuit in Latio primus Rex Orbe Tyrannus;
Auſtriadū, hoc quiſquis rexit in Orbe, Pater.

Digitized by Google

P. A. D. Hilarioni Vicecomiti Borromæo, è ſacro Ciſtercienſi Ordine, Caroli II. fel. mem. Hiſpaniarum Regis, &c. Concionatori, *Academico Faticoſo*, IL RINVOVATO, Oratori, & Poetæ feliciſſimo.

DISTICHON.

Diſſeris, & pangis prompto ſic marte; in vtroq;
Æmulus vt cultæ Palladis eſſe queas.

Genitori filius oritur per longum tempus deſideratus.

DISTICHON.

Alluditur ad illud S. Ambroſij ſupra Pſalmum 62. vbi ait:

Ad hoc naſcitur puer, vt dicat Maiori: quid hic agis? neceſſe eſt, vt, qui ſuccedunt, excludant eos, qui præceſſerunt.

Qvid blateret, Genitor ſi neſcis, filius: audi:
Perge, laboraſti ſat: mihi cede locum.

Ad pium, doctumque genium
THOMÆ MARIÆ FERRARII
S. R. E. Principis
Presbyteri Cardinalis tituli S. Clementis,
ſacræ Congregationis Indicis librorum prohibitorum Præfecti, &c.
fulgentiſſimi, vt religioſiſſimi,
ſcientiarum Luminis.

Super verba Pſalmi ſeptuageſimi ſecundi
num. 25. & 26.
Quid enim mihi eſt in Cælo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum?

ELEGIA.

QVid mihi in Æthereis? ſors aſtra micantia Cæli?
An Lunæ? an Solis lumina amanda mihi?
Quid gemo? quo mæſta mei ſuſpiria cordis
Tendunt? in terris fortè quid illa petunt?
Ah! nihil in Cælis, minùs hic telluris in Orbe
Illa volunt; vnum præter amare Deum.
Reſpicio ad quodcunque latus: nec cerno creatas
Res vllas hominum cordibus eſſe pares.
In te comperio ſolo, Deus alme, quod optet
Humanum cor, ego: prætereàque nihil.
Tu mea pars, totumq; meũ es; quod nunc, & in æuũ
Vel volo, vel cupio; me vel habere placet.
Iucundæ ſpecies: formæ pulcherrimæ, amicæ
Senſibus, eſte procul: non ſatis eſtis eis.
Demulcet, fateor, quam fertis, multa voluptas
Affectus noſtros; creſcit at inde fames.

Hoſti-

Hoſtilem experiuntur enim, vice ſortis amantis,
Mortem, ſub ſortis nomine, ſæpè feram.
Quæ limi terræ partes tranſiſtis in aurum,
Et gemmas, rutilas fulgidiore face:
Vos an amare bonum eſt, irritamenta malorum?
Et mala, quæ nobis gignitis omne malum?
Abſit, vt in vobis animus requieſcere noſter
Speret; vel credat vos bona vera ſoli.
Nec vos diuitiæ, dignæ eſtis amore virorum;
Qui, niſi vt ancillas vos habuere ſuas.
Quin ratio mage clareſcens, propria arma capeſſit;
Ac, velùt infeſtis hoſtibus, arma mouet.
Declaratque ſuis fecialibus agmina prompta:
Armatas veſtris & glomerare manus.
Nouit nam ratio, Fidei & dictamine puro:
Diuitias, ſpinas eſſe mucrone truces;
Atque ferire animas auidas ità cuſpide acutâ;
Non rarò mortis ſpicula vt ipſa ferant;
Concepto vel ſic animæ accenduntur ab æſtu;
Vt ſitis aucta furat; nec ſit in hiſce quies.
Sed quid de vobis dicam, decora alta Parentum?
Nomen grande? canens Gloria: Fama ſonans?
Quid ſedes elata? thronus? diademaq;? ſceptrum?
Queis hominis Sãguis: queis homo ſplendet humi?
Quomodò vos habet in pretio prudentia amator?
Sors, veſtrâ, Heroes, ſorte carere fuit.
Sublimes ideò, cùm ſe inſpexere, dolebant:
Non procùl excelſis caſus ad ima foret.
Plùs mihi tu quamuis operoſa ſcientia chara es:
Quòd mentem, & mores excolis, atque doces.
Tu quoque, ſis quæcunque, vales, vt noſtra cupido
Se frenet potiùs, quàm ſaturetur edax.
Summus quippè boni flammam non tollis; at illam,
Succendens, agitas; nec datur hîc requies.

Ad

Ad Numen verò ſimplex habitator Eremi
Ampliùs aſſurgit, quàm ſchola plena ſophis.
Idcircò remanet cæleſtis Regia ſola,
Concita quæ noſtri corda quieta regat.
Regia nec Cæli ſatis eſt pro corde: Gubernans
Si deſit; nec eâ regnet in Arce Deus.
Firmabit præſens verum vel Lucifer ater:
Quòd Cælum, abſque Deo, Styx tenebroſa fuit.
Atq; ita nil, ſi Numen abeſt, mens noſtra pererrans
Inuenit in terris; vel ſuper aſtra boni.
Magnâ nimirùm quod ſit bonitate refertum
Nullibi habetur Opus, ni Deus hoc repleat.
Ergo, cor ſiſtas; triſti nec in Orbe vageris
Ampliùs: in ſolo Numine quære locum.
Cætera nè cures poſthàc; tibi nulla quietem
Sinceram tribuent, deficiente Deo.
Hinc tibi præſto fidem, Deus: hinc tibi ſacro fideles
Affectus: erit his vnica meta Deus.
Hic, & vbique volo, viuusque, & morte ſolutus
Inſeruire Deo: ſemper amare Deum.
Eſt Deus ipſe mei cordis pars integra: totum
Me Deus exſatiat: continet omne bonum.

Ad Hippocratis Prognoſtica à D. Paulo Hieronymo Bimio Phyſico Mediolani Collegiato exametris reddita ingenioſiſſimis, Morales aliquæ interlegendum, extemporaneæq; Cogitationes Diſticis expoſitæ.

Ad libri Primi Prognoſticum XIX.

DISTICHON.

PRonus ad ima, pedesque ruens, ad funera tendit:
Sic anima ægrotans tendit ad antra ſtygis.

Ad Libri ſecundi Prognoſticum VII.

DISTICHON.

MOrte cadet, grauitant cui totum corpus, & ar-(tus:
At ſinale ſcelus quem grauat, ille perit.

Ad Sectionis primæ Aphoriſma I.

DISTICHON.

LOnga ars, vita breuis Medicis: ſi longior eſſet
Hæc Medicis; ægris & foret; arsque breuis.

Ad Sectionis primæ Aphoriſma VI.

DISTICHON.

EXtrema extremis medicina eſt optima morbis
Corporis, ac animæ: nos Deus indè premit.

Ad

Ad Sectionis ſecundæ Aphoriſma V.

DISTICHON.

QVidnam demonſtrat languor ſpontaneus? hic eſt
Inditium morbi, aut corporis, aut animæ.

Ad Sectionis quartæ Aphoriſma XXX.

DISTICHON.

DIfficilis febris, horâ accedens ſemper eadem:
Nec minùs eſt rediens hoc pede culpa grauis.

Ad Sectionis quintæ Aphoriſma XXIV.

DISTICHON.

FRigida uti nix, & glacies eſt pectoris hoſtis:
In bono ita eſt hoſtis frigiditas animæ.

Ad Sectionis ſextæ Aphoriſma VIII.

DISTICHON.

ULcus in hydropico recipit vix pectore curam:
Error vt in tumido vix medicabilis eſt.

De tumiditate corporis, & mentis.

ALIUD.

AN mage difficilis ſit mentis, vel tumor alui?
Scire nec Hippocrates; ſcire nec Aula poteſt.

Ad

Digitized by Google

Ad eiuſdem Sectionis Aphoriſma XXXVIII.

DISTICHON.

OCculti cancri ſine cura tempore durant
Longo: ita laſciuis corde perennat amor.

Ad Sectionis ſeptimæ Aphoriſma LXV.

DISTICHON.

In quo, iuxta Doctoris Angelici dictum, in *ſequentia*, à cibo naturali ad Euchariſticum aſſurgit meditatio.

ESt robur ſanis, morbus febrientibus eſca:
Vt ſolet eſſe bonis ſacra vel eſca *malis.*

Ad Hippocratis Libri de diebus Iudicatorijs Conſiderationem IV.

DISTICHON.

ILlex nì fuerit morbus; ſi tempora ſeruet;
Corporis; ac animæ neutra timenda ſalus.

Item ad Conſiderationem V.

DISTICHON.

SOrs priuata nequit communem vincere ſortem:
Quotidiè morimur: labimur inſtar aquæ.

In

In Funere
FEDERICI CACCIÆ
S. R. E. Principis, Presbyteri Cardinalis
tituli Sanctæ Pudentianæ,
Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, &c.

EPIGRAMMA.

MOrte petente, dedit corpus Federicus; at Eius
Immortale omni tempore Nomen erit,
Qui vigil, aſſiduusque fuit virtutis amator;
Hanc, in pace etiam quando quieſcit, amat.
Antè, ſuos ſtuduit ſolers componere mores;
Diſceret vt populus, ſe præeunte, ſequi.
Et ſuæ, & alterius fuit illi cura ſalutis;
Vt Dei, erat ſemper proximi amore flagrans.
Largus in inopes, clemens nocuisque ſolebat
Eſſe: gregique ſuo Paſtor vbique bonus.
In ſuccurrendis fuit indefeſſus egenis;
Nec moriens illis deſtitit eſſe Pater.
Is, cùm vixit humi, ſacro decus addidit Oſtro:
Hinc, vbi ceſſit, eum ditat honore Polus.

De cupiditatis damnis.

DISTICHON.

Alluditur ad Sancti Valeriani ſententiam
hom. 20. de auaritia:
Nihil eſt malorum, quod non cupiditas, aut concipiat, aut parturiat, aut nutriat.

COncipit, aut parit, aut nutrit mala cuncta cupido,
Terrarum noſtro peſſima in Orbe parens.

San-

Sanctorum ſeptem fratrum Martyrium
cum gaudio ſuſceptum, hortante illorum matre,
Sancta Felicitate, poſt eoſdem,
Martyre glorioſâ.

DISTICHON.

FOecunda, & facũda Parens prolem intulit aſtris:
Indè triumphali morte ſecuta fuit.

Patientia vbique neceſſaria, maximè autem
in Aula.

DISTICHON.

SIs patiens, Aulis cùm duces ſubditus annos;
Vt felix poſſis viuere, diſce pati.

ALIUD DE EODEM.

QVisquis in hoc Mũdo patiens ſit oportet: in Aula
Qui ſatis eſt patiens, vix ſatis eſt patiens.

Ad amicum amicus è Purgatorij
ardoribus.

DISTICHON.

IN flammis crucior; ſi vis, miteſcat vt ignis;
Exeat ex oculis flumen, amice, tuis.

Ad

Ad reſponſum, quod Alexander Macedo, adhùc iuuenis, exhortanti, vt in ludis Olympicis curreret, dedit, apud Plutarchum in Alexandro, ideſt:

Da Reges æmulos, & curram.

DISTICHON.

CVrrere non vult Rex, nì ſit Rex æmulus alter:
Non eadem quiſquis pectore corda gerit?

De auri colore.

DISTICHON.

DIogenes benè reſpondit, cur palleat aurum:
Multorum fraudes, inſidiaſque timet.

Deceptio ab illuſtri Viro.

DISTICHON.

FAllere, res vulgo turpis: turpiſſima res eſt,
Cùm fallunt clari Nobilitate Viri.

In nimis pauidum.

DISTICHON.

COrdis debilitas eſt: res quaſcunque timere;
Nil minùs ac, nullas res trepidare, ſtupor.

De ventis pulchrè philoſophatur ſic Seneca, lib. 5. Nat. quæſt. cap. vlt.

Dedit Natura ventos ad vlteriora noſcenda.

DISTICHON.

SEdula produxit ventos Natura fugaces;
Vt par ſim ventis, vlteriora ſequens.

Ad Senecam aliud de eodem.

SI vlteriora facit Natura agnoſcere ventis:
Cur tu non noſti, vento agitante, Deum?

In venuſtiſſimam quandam mulierem minùs honeſtam ſpeculo aſſidentem.

DISTICHON.

TEſtibus, & ſpeculo, & Mundo, & te, pulchra putaris?
Dæmone teſte, Deo Iudice, turpis eris.

Ad Sanctam Iuliam Virginem Cruci in Martyrio affixam.

DISTICHON.

IVlia, te IESV Sponſam reor eſſe: quòd vno
Te Chriſti Sponſi cerno cubare thoro.

Ad Principem.

DISTICHON.

SCito, voluntatem vix immutare ſceleſtos
Ex venia: totiès hinc malè parcis eis.

Ad

Digitized by Google

Ad legamen laborum
IOSEPHI SACRIPANTIS
S. R. E. Principis,
Presbyteri Cardinalis
tituli S. Mariæ Tranſpontinæ,
Prodatarij, &c.
Virtutum pretioſiorum fulgoribus
comendatiſſimi.

Aliquibus rationibus innuitur,
à nulla re, aut materiali, aut ſpirituali
poſſe cor hominis ſaturari;
ſed à ſolo Deo.

ELEGIA.

QVidquid in Orbe oritur, moritur: quæcūq; tuetur
Phœbus, habent ortū: mortis & umbra teget.
Prouida conſtituit quidquid Natura caducum,
Nullâ mortales arte beare poteſt.
Nempè beare nequit, quod morti ſubiacet: eſtque
Immortale bonum, noſtra quod ima beat.
Immortale bonum mortalibus vnica ſpes eſt;
Vt tandèm valeant ſorte beante frui.
Immortale ſibi parili cor vt indiget eſcâ;
Non ſit ei, æternâ nì bonitate, ſatis.
Tempore quæ bonitas eſt definita, quietem
Æternis veram mentibus indè negat.
Obiectumque potentiæ in Orbe eſt cuique ſtatutum,
Sæpè ſed eſt errans; & minùs illa petit.
Appetit illa minùs, quando terrena pererrans,
Huc, illucque volans ſingula habere cupit.
Singula habere cupit: quòd in omnibus otia quærat;
Ac animo pacem ſe reperire putet.

Obtinet intereà non pauca; ſed illicò pennis
Ad noua ſe confert irrequieta ſuis.
Scilicèt in nullis placidæ indulgere quieti
Se probat; & feſſum figere poſſe pedem.
Diuitiæ, guſtus, & Mundi grata voluptas
Alliciunt; non dant vllibi pacis opes.
Nobilitas dulci cum proſperitate coruſcans,
Eſt imperfectum, deficienſque bonum.
Omnia, quæ ſiſtunt ſe blanda, venuſta: beare
Se ſpondent: ad ſe lumina noſtra trahunt.
Inſimul interiùs nos vſque mouemur ad illa;
At citò deceptos noſcimus eſſe gradus.
Tum miſeri, flentes, maiora requirimus: iſto
Ah nil ſub rapido Sole beare valet!
Si mentem erigimus ſuper aſtra: tot indè Beati
Noſtra nec Æthereo corda fauore beant.
Sint animæ iuſtæ, volucres Aulæque miniſtri
Cæleſtis: totus ſit Chorus Angelicus:
Cuncta Beatorum ſint agmina; lætaque lætis
Cantibus, atque ſonis ſuaue creentque melos:
Ditentur ſpecie quauis recreante creata:
Effundant plenos luce nitente dies:
Sic non vnus eat fortunatiſſimus annus:
Sic & in his tempus ſeruet vbique fidem.
Hæc vitam inſpirent, vitam mortalibus ipſam:
Non iſtam ſaturam reddere poſſe, patet.
Qualibet eſt etenim talis ſubſtantia, fine
Circumſcripta ſuo; noſque beare nequit.
Indè opus eſt aliò voluatur noſtra voluntas;
Indagetque ſagax; quò requieſcat amor.
Hinc intellectus ſurgens ſuper omne creatum;
Atque creaturas quod beat aſſequitur.
Quod beat eſt Numen ſolum: iſtud continet in ſe
Cuncta etiam, quæ ſunt labili in Orbe, bona;

Poſſi-

Poſſibile immò bonum quoduis ſeruatur in ipſo;
Quem conſtante fide credimus eſſe Deum.
Iſtius aſpectus Paradiſi gaudia vibrat;
Hic vbi reſplendet, quin Paradiſus adeſt.
Hic eſt æternus: rutilatque per omnia luce
Sæcula inexhauſtâ, lætitiâque pari:
Hic infinitus, ſemper ſine fine beatus,
Seque, ſuoſque omnes eſt ſine fine beans.
Hic regit omne bonum: omne bonũ reperitur in illo:
Ex hoc Principio naſcitur omne bonum.
Quiſquis ad hunc igitur ſe dirigat ales: in iſto
Quiſquis Fonte boni quidquid habere poteſt.
Siſte Viator ibi: Comprehenſor ibi requieſce:
Promitto: felix alter, & alter eris.

De prudenti, & forti Viro, ad amicum.
Pittaci Philoſophi Mitylenæi
vnius è ſeptem Græciæ ſapientibus iudicium:
Prudentis viri eſt, multò, antequàm ingruant, pericula præuidere; fortis autem, quæ nunc adſunt pericula, intrepido, præſentique animo perferre.

DISTICHON.

INtrepido perfert, vel dura, pericula corde
Vir fortis; prudens at priùs illa videt.

De IESU Chriſti Nomine,
primâ anni die, celebrato.

DISTICHON.

CVr mihi prima dies anni cum Nomine IESV
Lucet? vt hinc quoduis incipiatur opus.

Ad D. Vailati Comitem, &c.
D. Balthaſarem de Roſales
Faticoſorum Academiæ
amantiſſimum vnà, & amatiſſimum Principem,
ibidem vnanimi voce laudatum.

DISTICHON.

IN tua ſic abeunt omnes præconia, Princeps;
Vt noſter reſonet totus in illa Chorus.

S. Catharina Virgo, & Martyr conſtantiſſima,
tùm inter blanditias, & promiſſiones;
tùm inter corporis lacerationes,
Maximini iuſſu, peractas.

DISTICHON.

QVanta ſit Heroum Fidei vis corde, Tyranne,
Tantâ fœmineo Te Catharina docet.

In quendam maledicum.

DISTICHON.

DE me cuiq; loqui placeat malè; ſit modò verũ,
Me non eſſe malum: nil mihi falſa nocent.

Ven. Hieronymus Æmilianus
Sacræ Congregationis Somaſchæ Fundator,
Orphanorum Parens.

DISTICHON.

NAturam vincit pietate Hieronymus: orbos
Educat innumeros: hic Patriarcha fuit.

D. Hor-

D. Hortenſio Abbati Vicecomiti,
Iuris Conſulto noſtræ Patriæ Collegiato,
Prothonotario Apoſtolico,
Eccleſiæ Metropolitanæ Mediol. Archipresbytero,
Generali primùm eiuſdem Eccleſiæ Capitulari,
tum S. R. E. Presbyteri
Cardinalis Archinti Archiepiſcopi Vicario,
Conſultori S. Officij, &c.
doctrinâ, & Catholicæ Religionis zelo:
immò, & aliarum virtutum robore,
ad ſui, & proximi decus, ac beneficium munito.

Sententia Platonis

DODECASTICHO EXORNATA.

AVribus attentis, homines, audite Platonem:
Dirigite huc mentes, claudite labra, Plato eſt.
Mortalis non eſt in terris vndique felix:
Cogitur hîc miſeros quisque probare dies.
Sit quamuis celebris, non eſt honor absq; periclis:
Non eſt abſque metu, quem comitantur opes.
Nobilis haud fruitur tranquillo Sydere: curis,
Nil minùs àc ſerui, dilacerantur heri.
Quiſquis in hoc Mundo teritur ſub mole malorum:
Quemlibet aſſiduus torquet vbique dolor.
Si quis non agitur Maris huius fluctibus, ille eſt:
Qui patitur fortis: qui ſtudet eſſe Plato.

Beata Virgo MARIA
ex S. Andrea Cretenſi orat. 2. de Aſſumptione:
Vita viuentium: cauſa vitæ:
ſuppeditatrix vitæ.

DISTICHON.

Vita vocaris, & es: nam, cum ſpe viuere, donas
Iis, quos exanimes reddidit antè timor.

ALIUD DE EODEM.

Vnica viuentûm tu vita es, cauſaque vitæ:
Vitaq; noſtra, tuâ Virginitate viget.

Amico.

DISTICHON.

Quid ſit opus, rogitas, vt ſemper ſimus amici?
Vt fugiamus idem; ſemper amemus idem.

Ad Patrem Fr. N. N. Conuentûs N. N, Priorem
Conſilium.

DISTICHON.

Is factis, vt voce, Prior; *parebit ità omnis:*
Diffugiet nullus, te præeunte, ſequi.

Ad

Ad Problema
ob honorem
SANCTI CAROLI BORROMÆI
S. R. E. Presbyteri Cardinalis,
Mediolani Antiſtitis,
& Faticoſorum Academiæ
Protectoris,
In conſueta D. Antonij Cleric. Regularium Aula,
Quinto Idus Decembris Anno MDCXCVIII,
celebre factum;
num ſcilicèt,
Sanctus Purpuratus magis in ſui ipſius; vel gregis reformatione laborauerit?

OCTASTICHON.

ERgo reformari potis illuſtriſſimus Heros;
Quem ſibi naſcentem lux docet eſſe parem? *
Innocuo ſemper placuit via candida Cæli:
Ergo reformandum, quod videatur, vbi eſt?
Aſt erat: in ſe atrox, mitem ſe fecit in omnes;
Eſſet vt exemplum, Paſtor, Ouile, tuum.
Indè reformando toti ſudauit, & alſit;
Totus & ipſe ſibi: totus & ipſe gregi.

* *Quantâ futurus erat Sanctitate conſpicuus Sanctus Carolus, diuina lux ſuper parientis matris cubiculum noctu coruſcans præſignauit.* Ex lection. Eccleſiaſticis pro ipſomet Sancto.

DE EODEM DISTICHON.

PRo grege plùs Carolus, zelum ſi ſpecto, laborat;
Se miſerum reputans, plùs agit ille ſibi.

Ad

Ad D. Aloyſium Aliprandum
ſacræ Theologiæ Doctorem,
Iuris Conſultum Collegiatum Mediolani,
Inſignis Baſilicæ S. Laurentij Canonicum, &c.
Academicum Faticoſum,
L' INDVSTRIOSO,
De eodem Problemate Oratorem.

TETRASTICHON.

Forma fuit Paſtor factus gregis optimus: ambos,
Orator referens, forma vtriusque nites.
Optima forma fuit Carolus gregis; & tua forma
Dicendi nobis optima viſa fuit.

Seu

DISTICHON.

EX forma Caroli, Caroli formatur Ouile:
Emicat ex formâ forma vtriusque tuâ.

MORALE DISTICHON.

Super id, quod exarauit Philoſophus libro de iuuentute, & ſenectute, & alibi, ſcilicèt:
Ante membra cætera, cor hominis efformari; poſt illa omnia, mori.

COr primum efficitur: poſtremum deſinit eſſe;
Vt citò & in finem poſſit amare Deum.

Quid

Quid fortioribus exercitibus detrimento eſſe poſſit?

DISTICHON.

QVeis nequeunt fortes mage fortibus eſſe pericli,
Fraus valet occulto ſola nocere modo.

Ad Sanctum Thomam Aquinatem cum Sole in medio pectoris pictum.

DISTICHON.

NEmo tuum pectus Cælum neget eſſe: refulgens
Illius in medio Sol vbi ſemper adeſt.

Ad Patrem D. Alexandrum Caium Clericum Regularem ſingularis Virtutis Virum.

De Virtute, & Gloria.

DISTICHON.

ESt ſolida, vt corpus, Virtus: eſt Gloria, vt vm-(bra:
Mundus eam totiès deſerit; hanc & amat?

Reſ-

Reſpondetur amico, quarè triremes ſic vocentur; cùm plurimos habeant remos?

DISTICHON.

Deducitur ex illis P. Virgilij carminibus, Æneidos 5.

Vrbis opus: triplici pubes, quam Dardana curſu
Impellunt: terno conſurgunt ordine remi.

Sit multis quanuis remis inſtructa, triremis
Dicitur, in remis nam fuit ordo triplex.

Vir humilitate ſublimis.

DISTICHON.

Spernere qui Mundũ: qui nullum: ſpernere qui ſe:
Et ſperni nouit, Sol erit ille virûm.

De auro, & animo.
Chilonis Philoſophi Lacedæmonij vnius è ſeptem Græciæ ſapientibus propoſitio:
Cos arguit, quale ſit aurum, purumne, an adulterinum? & aurum viciſſim, qualis ſit animus?

DISTICHON.

Quales ſint animi, ſplendens lux indicat auri:
Vt cos iſtud habet prodere, prodit eos.

Sanctus Franciſcus Xauerius
è ſacra Societate IESU,
defunctus,
è ſiniſtrò, vt Saluator noſter, latere
ſanguinem, & aquam fundit.

DISTICHON.

DAt latus extincti lympham cum ſanguine: ami-
cum
Vult & in hoc ſimilem Chriſtus habere ſibi.

Amico:
Quòd veri conſilium amici,
potiùs quàm noſtrum, amplectendum ſit.

DISTICHON.

COnſilium proprio melius reor illud amici:
Indè relinquo meum: proſequor indè tuum.

S. Ambroſij Antiſtitis Mediolanenſis
effatum:
Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum;
cùm ipſa diuturna non ſint ſæcula?

DISTICHON.

NIl, mihi crede, poteſt diuturnum ducere ſæclum:
Quòd diuturna ſibi ſæcla nec ipſa fluant.

ALIUD DE EODEM.
SÆcula ſi non ſunt diuturna, quid eſt diuturnum:
Nobis ſi paruo tempore cuncta volant?

Chri-

Chriſti fideles défuncti
ad viuos amicitiâ iam connexos.

DISTICHON.

QVi largos viuis vos exhibuiſtis amicos:
Nunc date, ob extinctos, ex pietate, preces.

In quendam liuidum hominem.

DISTICHON.

CVm me lædis, ego te excuſo: haud credimur ambo:
Quis ſim? quis tu ſis? acta vtriusq; probant.

In eundem aliud.

INuide, me mordes, ego nullo ſtigmate ſignor;
Atque meâ nihil ex integritate perit.

Sanctus Potitus,
abſciſsâ in Martyrio linguâ,
corde canit Deo laudes.

DISTICHON.

E Linguis Domino decantat corde Potitus:
Cordis, plusquàm oris, lingua canora Deo eſt.

DE

Digitized by Google

DE IOSEPHO FERDINANDO
Ducis, & Electoris Bauariæ
MAXIMILIANI EMMANUELIS, CAIETANI
Principe Primogenito,
in futurum, poſt CAROLUM II.
Monarcham Hiſpaniarum electo,
ſex tantùm annorum ætatis,
ſummæ tamen ſpei puero,
à morte ſublato.

DISTICHON.

SYdera ſi puero ſenium exorata dediſſent:
Amplificaſſet opes; nec minor eſſet Auis.

ALIUD DE EODEM.

O Si vixiſſet! qua non Virtute fuiſſet
Auctus? & hac celſos fors ſuperaſſet Auos.

In quendam hominem vagum,
ſeque ſapientem oſtentantem.
Alluditur ad illud adagium:
Homo ſedendo fit ſapiens.

DISTICHON.

ESſe nequis ſapiens: nimis huc, illucq; vagaris:
Et qui vult ſapiens eſſe, ſedendo *ſtudet.*

Reli-

Religioſo amico.

DISTICHON.

UT totus Domino viuas, tibi mortuus eſto:
Eſſe quòd in nobis vnica vita poteſt.

Ad Principem Magnum
Faticoſorum Academiæ aſſiſtentem incognitum.

DISTICHON.

MAgne, tuâ, Princeps, ſi Muſas protegis vmbrâ,
Clarior hæc illis lumine Solis erit.

De amore Diuino, & terreno.

DISTICHON.

CÆcus amor terræ: quisquis duce labitur iſto;
Nì velit, Æthereo nemo regente cadit.

De morte amici virtutibus ornatiſſimi.

DISTICHON.

DEbita Virtuti deerant hîc præmia: Cælos
Scandit, vbi meritis præmia digna manent.

Quales eſſe Reges debeant?

DISTICHON.

DEdecet eſſe nimis mites, nimis eſſe ſeueros
Reges: nam Virtus inter vtrumque ſedet.

Ecce

Digitized by Google

Ecce Ancilla Domini, Lucæ 1. 38.

DISTICHON.

Mater ero Domini, ſimul aſt ancilla: merebor
Dici Ancilla *Dei*; Mater *&* *eſſe Dei*.

S. Agatha Virgo in Martyrio magnanima.

DISTICHON.

Foemina ſum ſexu: Virtute ſed eſſe Vir opto;
Virgo, vel invictis, æquiparanda Viris.

ALIUD DE EADEM.

Foemina ſum ſexu; ſed, ſciſſis enſe mamillis,
Quis pectus nobis eſſe virile neget?

Ad D. Hieronymum Mariam de Florentia Marchionem de la Fuente, &c. *Academicum Faticoſum*, L' AGGHIACCIATO, Operoſum Poetam.

DISTICHON.

Ut tibi, Parnaſſi de fontibus, addere poſſum:
Non datus eſt ulli plenior hauſtus aquæ.

In aliquem ineptè exultantem;
vt è morte diutiùs declinet.

DISTICHON.

NOn reddunt lentā: celerem ſed gaudia mortem;
Auferat vt riſum, mæſtitiamque ferat.

Religioſum donum.

DISTICHON.

PArvum ſiſto tibi munus; magnumq; : quòd illud
Paupertas paruum; magnum animusq; facit.

De luxurioſo homine.

DISTICHON.

ESt vitium Venus, & ferè inemendabilis error:
Flammaque tunc ceſſat, cùm cineſcit homo.

Ad reciprocam amici ſalutationem.

DISTICHON.

DEprecor omne bonū, mihi divis: deprecor omne
Dico tibi; nollem, hæc omnia verba forent.

P. Io: Petro Mottæ
è ſacra Societate I E S V,
in Braydenſibus Mediolani Gymnaſijs
lectiſſimo Rhetoricæ Magiſtro,
inter Faticoſos Academicos
L'IMPETO,
Poetæ ſanè excellenti.

In Poeſis hodiernæ ſubſidium.

HEROICUM CARMEN.

Quid deſpecta volas per tempora noſtra Poeſis?
In pretio vix vlla minùs res carmine fulget.
Conqueritur nunc Muſa, cupit ſibi ſæcla vetuſta
Aurea: ſacrato gliſcens obrepere Pindo.
Quisquis eâ primos diffidit an aſſequi honores?
Nanque ſuo laurum capiti nequit addere Vatis:
Parco; ſed Elyſios viridi de ceſpite flores
Carpite; & Aonio libate è murmure fontes:
Muſarum reſerate lares: & Apollinis alta
Tecta intrate, rogo, facundo ſplendida luxu.
Muſa tuum diffunde iubar, mentiſque tenebras
Eyce: Apollineos infundens cordibus ignes:
Te mea vota petunt; reddant nos lumina dignos
Alma tui: noſtro ſubitas in pectore flammas
Excute: iam diuo recrees mea carmina plectro;
Et mea cœleſti concinnas organa cantu.
Cuilibet ignoſcas, qui te contempſit: amica
Adſis; te mecum poſthàc venerabitur omnis.

Beatæ Veronicæ de Binaſcho
Virgini Mediolananenſis Diœceſis,
è ſacro Sancti Auguſtini Inſtituto,
miniſtrant Angeli panem.

DISTICHON.

Maiorem Paulo quis te neget eſſe, Virago?
Angelus, haud coruus, fert tibi nanq; cibum.

De nimia cunctatione, aut feſtinatione.

DISTICHON.

Feſtinare nocet nimiùm; nocet atque morari:
Hinc apto ſapiens tempore quodque facit.

De mundanis huius temporis gratijs.

DISTICHON.

Gratia dicta fuit, quòd ſit data, dandaq; gratis:
Gratia nunc gratis cur quaſi nulla datur?

De eodem argumento aliud.

Qualibet immò datur gratis ita gratia; noſtrâ
Luce; quaſi gratis nonniſi danda foret.

De

Digitized by Google

De S. Ioanne Baptiſta
adhùc in matris ſuæ viſceribus clauſo.

DISTICHON.

Alluditur ad Homiliam S. Io: Chryſoſtomi
apud Metaphraſtem 1.
In qua de illo in S. Eliſabethæ matrice
detento habet:
Nondùm aſpicit lucem, & Solem indicat.

NOn aſpexit adhùc lucẽ, & Solem indicat: intùs
Solis ab æterni lumine lumen habet.

De mercatore, & inſufficienti operario.

DISTICHON.

SI quid mercator faciendum fidat inepto,
Ille oleum perdet certus; & ille operam.

In quendam de proximi pœnis gaudentem;
& ſe mitem eſſe gloriantem.

DISTICHON.

NE te dic mitem, cùm pœnis ſæpè fruaris:
Qui fruitur pœnâ, non ferus eſſe nequit.
Ex Claudiano in Conſ. Hon.

Ad D. Io: Petrum Marchionem Orrigonum
Doctorem Mediolani Collegiatum,
nec non Regium Magiſtratus Extraordinarij
Quæſtorem, &c.
à pietate vniuerſim commendatum,
ſingillatim ab illa
erga immaculatam Virginis MARIÆ
Conceptionem.

De Virtute, & lauro.

DISTICHON.

FVlminibus laurus non tangitur; at mage Virtus
intacta eſt, quouis fulmen agente malo.

Cur tranquilla poteſtas violentæ præualeat?

DISTICHON.

QUod violenta nequit, peragit tranquilla poteſtas:
Vtpotè Naturæ gratior iſta venit.

De Gloria, & Fama.

DISTICHON.

DE reliquis hominis prædetur cuncta vetuſtas:
Gloria non moritur: Fama ſuperſtes erit.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

DISTICHON.

LApſus homo fuit, Elyſij terreſtris ob eſcam:
Altiùs erigitur Numinis ille cibo.

Exem-

Exempli robur.

DISTICHON.

Principis exemplum patet eſſe potentius ipsâ
Lege; quòd hoc Princeps vult, docet, atq; facit.

Cuidam malè viuenti, & mortem trepidanti.

DISTICHON.

Horres iure: malis quia mors eſt Alpha malorũ
Flebile; vt iſtorum eſt Omega dulce bonis.

Homo villicus ex Lucæ 1.

DISTICHON.

Villicus eſt homo, nõ dominus: benè villicet ergo;
Villicus ille Dei nè malus eſse velit.

Ad Religioſum Virum humilitate illuſtrem.

DISTICHON.

Perge tuas, humilis, *dotes cælare patentes:*
Æternum poteris non operire decus.

Ad Deiparam
à quodam eius deuotioni addictiſſimo appellatam
Roſam Candidam.

DISTICHON.

Es Roſa, Virgo, niuem vincens candore; tuoque
Candori florem non tulit Hybla parem.

CAROLO HENRICO LOTARINGIO
Valdemontij Principi,
pro Hiſpaniarum Monarcha,
in Mediolanenſi Prouincia ſupremo Gubernatori,
& exercituum Generali Duci, &c.

CAROLUS HENRICUS LOTARINGIUS
Anagramma.
VIR CLARUS, VIGIL, HERO CONSTANS.

Offertur Diſticho.

SVſcipe, quas Tibi fert laudes Anagrammate Apollo:
Nomine ab Herois cerne venire, Tuo.

Ad funeris ſpectatorem.

DISTICHON.

FVnera qui ſpectas, mox expectaris ab illis:
Specta, nè expectes: ecce propinqua tibi.

Ad ſæcularem virginem N. N.

DISTICHON.

Alluditur ad Biantis Philoſophi Prienæi
vnius è ſeptem Græciæ ſapientibus documentum:
Tanquam in ſpeculo tuas ipſius actiones contemplare; & quæ honeſtæ ſunt, in dies abs te ornentur magis; turpes verò, virtutis ſtudio contegantur.

SI tua, vt in ſpeculo, virgo, meditabere geſta;
Euades ſponſo ſponſa venuſta Deo.

De

De tenebris in Chriſti morte.

DISTICHON.

Occidit Æthereus Sol: hinc nox naſcitur Orbi;
Morte Dei aſt hæc nox eſt mage clara die.

Democritus nubens.

DISTICHON.

Vxorem ſapiens paruam Democritus, & cur
Duxit? vt & paruum duceret ille malum.

Ad S. Ioannem Baptiſtam Domini Præcurſorem.

DISTICHON.

Super illud Matthæi cap. 11. 11.
Non ſurrexit inter natos mulierum maior Io: Baptiſtâ.

Maior es, anne minor? cunctis es maior amicis
Tu Dei; at ipſe Tibi Te minor eſſe ſtudes.

De Iudæ Iſcariotis fine.

DISTICHON.

Iudæis aurum reddens, animamque Barathro;
Iuſtus in hoc tandèm proditor eſſe patet.

N. N.

Digitized by Google

N. N. vel in ignominioſo patibulo hilaris, pro amici ſui honore moriens.

DISTICHON.

GRande cor ad mortis formas non reſpicit: vnam
Terribilis cauſam cernere mortis habet.

Cum ſtulto, quomodò agendum?

DISTICHON.

COrripe dementem: ſi non ſe corrigat, illum
Perfer; & exemplar tu ſapientis eris.

Alicui rem cæteroquin euidentem probare intendenti.

DISTICHON.

Alluditur ad Ariſtotelis Prouerbium: *Solem lucernâ oſtendere.*

REs eſt clara ſatis: Solem nè oſtende lucernâ:
Verum *ſplendet vti Sol; vti fax* ratio.

Ad

Ad D. Benedictum Erbam
S.S. Petri, & Caloceri
Cliuati, Diœceſis Mediolanenſis,
Abbatem;
ex Pronepotibus
Innocentij XI. Maximi Pontificis
Optimæ ſtirpis Florem
nihil in Nobilitate, & Virtute
degenerem.

De Laude.

Sancti Gregorij Papæ ſenſus

DISTICHO EXPRESSUS.

LAus cruciat iuſtos; & laus exaltat iniquos:
Illos vt ſubitò ſubleuet; hoſce premat.

Super illud B. V. Mariæ ab Angelo dictum:
Inueniſti gratiam apud Dominum.
Lucæ 1.

DISTICHON.

OMnes vna Dei grates inuenit; at vna
Non habet: has nobis fundere Virgo ſolet.

Ad Patrem D. Ioſephum de Iudice
Clericum Regularem,
ſuauiſſimum, doctum, & religioſiſſimum Virum:
in præſenti,
Collegij noſtri S. Mauritij Mantuæ
Præpoſitum.

Mundi tragœdia.

DISTICHON.

SPectatore Polo ſit in Orbe tragœdia: cuius
Scena ſolum: vita eſt actio: & actor homo.

Exempli iuſſio.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Quintiliani in Declamat. 2.
à Spartanorum legibus deſumptum:
Hæc eſt Principum conditio: vt, quod faciunt,
præcipere videantur.

PRrincipis hæc eſt conditio, vt videatur id omne,
Quod facit, ipſe ſuis velle iubere choris.

Sancta Maria Magdalena de Pazzijs
è ſacro Carmelitarum Ordine
Pati ſupra mortem deſiderans.

DISTICHON.

HIc pati *amo: quia amare Deum ſuſpiro: nec illũ*
In terris quis amat, nì patiatur *amans.*

Ad

Ad
Problema:
An ſtudioſa ad Poeſim applicatio
in ſapiente Viro
reprehendi poſſit?
Quod
In Faticoſorum Academia,
Sexto Calendas Februarij, Anno MDCXCIX.
vt dilueretur, productum,
eruditiſsimâ,
& omnium votis idoneâ Oratione,
à
Doctore Phyſico D. Marco Aurelio Quæſta,
Faticoſo Academico,
IL MODERATO,
propinatum fuit.

EPIGRAMMA

DEſine, Muſa, tuum Problema vocare: Poeſim
Lædere quis ſapiens in ſapiente poteſt?
Et quis eam lucem, quæ tot nituere per Orbem,
Non amet, vt quouis in ſapiente micet?
Numine ſanè agitur Vates: operoſaque cultus,
Nil minùs ac doctus, carmina ferre ſolet.
Quæ non connectit cantum pulcherrima in vnum,
Qui valet Aonio promere verba ſono?
Vndique Vir dignus laude eſt; cui rectus Apollo
Præcingit lauris tempora gnara ſuis.
Dicitur hinc, ſacro talis vel percitus œſtro
Heros; diuinâ mente vel actus homo;
Vt cuncti hunc laudent: omni decoretur honore
Cui Deus ornando contulit omne decus.

De

De eodem Problemate.

DISTICHON.

AVdet Apollineas quiſquis contemnere lauros,
In caput illius fulmina iuſta cadant.

A D. Oratorem,
qui
nullum aduersùs Muſas opponendi locum
reliquit;
quem rationibus, & eruditionibus
non muniérit,
in fauorem
P O E S I S,
ſemper in ſapiente excelſis laudibus
dignæ.

EPIGRAMMA.

HAuſiſſent omnes, utinam, doctiſſima linguæ
Vatibus infenſi flumina, Quæſta ſuæ:
Auderet poſthàc nullus mordere Poëſim;
Qua ſeptus ſapiens Herculis inſtar erit:
Hinc ità rem clarus, validusque Poëta probaſti,
Hydra quòd aduerſans, te perimente, iacet.

In quendam.

DISTICHON.

OMnia quod facies, frontes; facis & nihil: iſtud
Vel nihil, eſſe putas omnia; ſors è cauum?

Quod

Quod prædictæ immediatè Academicæ
Exercitationes
die Sancto Ioanni Chryſoſtomo ſacrâ
peragerentur.

EPIGRAMMA.

AVrea Apollineo cuperet ſe Muſa Lyceo
Siſtere; & aurifero carmine ferre ſonum;
At noua quæ poterit fluxum lux mentibus aurum
Reddere; vt ex auro profluat immò latex?
Ecce dies tua, quæ ſplendet, Chryſoſtome, ſpondet,
Aurea ſint noſtro cuncta futura Polo.

Memori Faticoſorum Academiæ Mæcenati
D. Petro Buſenello
Magno
Reipublicæ Venetæ
Cancellario;
In quo veræ Politiæ maieſtas,
& gratiſsimæ benignitatis ſuauitas
perquàm ſapientèr colligitur.

De Longini lanceâ
Chriſti Domini extincti latus transfodiente.

EPIGRAMMA.

LAncea ſæua fuit; quin & fuit impia: turpi
Digna probro; fallor: digna decore micat.
Chriſticolis reſeraſſe ſinum perſpeximus; in quo
Tuta Patrocinio corda quieta forent.
Quò maius maiori ex impietate trophæum!
Sed minus hoc eſſet, ſi minùs illa fera.

Cui-

Digitized by Google

Cuidam malè contento,
quòd Auctor apud illum paucis ſe expedierit.

DISTICHON.

Alluditur ad tritiſsimum adagium:
Pauca ſapienti.

ME expoſuiſſe doles tibi multa negotia paucis:
Id fuit: es ſapiens: non mea culpa: tua eſt.

Seu apertiùs.

REm tibi me tetigiſſe fuit ſatis: vtpotè noſtris
Te colo ſub Cœlis pro ſapiente Viro.

Amico, vt rectè ſua promat vota,
Conſilium.

DISTICHON.

SI vis, vt tua non erret ſententia, dicens:
Hanc priùs ad limam in mente nitente proba.

Auctor
propriam indigentiam exprimit Deo homini.

DISTICHON.

ESſe tuus totus, Ieſu, deſidero: totus
Eſſe tuus nequeo, ni meus eſſe ſinam.

In

Digitized by Google

In aliquem, qui culpabat in ſe Naturam, non Sapientiam.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Iuuenalis in Satyra 14.
Nunquàm aliud Natura, aliud Sapientia dicit.

TE Sapientia, vel Natura regat; benè viues:
Nunquàm aliud, ſed idem diſco ab vtrâq; bonũ.

De amico virtutum laude ornatiſſimo ex hac Cleobuli Lindij vnius è ſeptem Græciæ ſapientibus prolatione:
Virtuti proprium eſt, omnem odiſſe nequitiam.

DISTICHON.

ODerit omne malum noſter, non miror, Achates:
Virtutis proprium eſt, omne ferire nefas.

Miſer, & infelix ad felicem irridentem,

DISTICHON.

NE de ſorte mea læteris, amice, malignâ:
Quæ mihi ſic hodiè eſt, cras tibi forſan erit.

S. Antonius Abbas Inferni, terrænæque omnis ſubſtantiæ triumphator.

DISTICHON.

TArtara deuicit: pro Numine cuncta reliquit:
Centuplici meruit munere in Axe frui.

Ad quendam infelicem, & Virtute clariſsimum, afferentem adagium :

Virtuti Fortuna comes.

DISTICHON.

SI Fortuna comes Virtuti ſemper adeſſet:
Non ſine Fortuna te comitante fores.

De CAROLO V. Imperatore Auſtriaco vtrumque terrarum Orbem relinquente; vt totum ſe Deo faceret.

DISTICHON.

NE mirere, duos terræ quod deſerat Orbes:
Sub Cælo, quod amet Cæſar, vterque iacet.

Ad Patrem D. Ioſephum Mariam Paueſium Clericum Regularem, Oratorem, & Poetam præclarum, *Academicum Faticoſum,* IL SORPRESO.

DISTICHON.

NObilis Orator, vel Vates ſufficit vt ſit
Vnus; at hæc mirè tu duo ſolus habes.

De corporea Beatiſsimæ Virginis MARIÆ venuſtate.

DISTICHON.

Virgineum corpus formans Natura; nitorem
Sumpſit ab Aurora, ſydere, Sole datum.

ALIUD DE EODEM.

Virgineum vultum fingens Natura; colores
Alba dedere rubris lilia mixta roſis.

Ad amicum iniurioſis verbis laceſſitum ab aucupante, ex alieni ingenij obtrectationibus, laudem.

DISTICHON.

Tabeſcis, quia te linguâ non dente momordit
Zoilus? hæc non ſunt verbera: verba volant.

De Cœna Domini noſtri IESU Chriſti.

DISTICHON.

Quid canitis, vates, lautas in Apolline cœnas?
Ecce miniſter in hac eſt Deus, eſca Deus.

In quendám
fallacibus argumentis Mathematicas ſcientias
inanes eſſe oſtentantem.

DISTICHON.

PHiloſophus, nec non Rhetor fuit antè ſophiſta
Dictus; at hoc propriè tu mage Nomen habes.

DE EODEM ALIUD.

INtra clauſtra ſui capitis ſe iactat inanem
Doctrinâ; & ſpatium ſe per inane vehi.

Ad Philonem Hebræum
in Vita Moyſis aſſerentem, quod
Ars Paſtoralis, ad Regnum eſt præludium; hoc eſt
ad regimen hominum, gregis manſuetiſſimi.

DISTICHON.

CVr cupis, vt quiuis fuerit Paſtor priùs, ac Rex?
Rex vt manſuetis moribus an ſit ouis?

In Cardanum inſurgitur,
Stellâ Magos ad Chriſtum vix natum ducente
conſideratâ.

DISTICHON.

DEſipis: haud Ieſus, Cardane, mouetur ab aſtris:
Ille, vel exoriens, diſce, quod aſtra mouet.

Eru-

Erudito adoleſcenti memoria mortis inſinuatur. Alluditur ad ſententiam Iuſti Lipſij ſelect. epiſt. ad Belgas cent. 1. ep. 5.

Ad mortem maturi omnes ſumus, ex quo nati; immò etiam antequàm nati.

DISTICHON.

EX quo natus es, ad mortem maturus es: ergo
Momento hoc potes à morte, memento, meti.

Ad illud Poetarum dictum:
Pietas nos facit eſſe Deos.

DISTICHON.

NOn pietas nos eſſe facit ſimulacra Deorum;
Sed facit æternùm nos Deitate frui.

In quendam, ſe malè facta ſub Rege ſuo non luere iactitantem.

DISTICHON.

TE Rex non punit? forſan non abnuit: inſtar
Numinis & differt: pœnaque maior erit.

Ad D. Franciſcum Abbatem Belcredi
Federici Vicecomitis Mediolani Antiſtitis
S. R. E. Presbyteri Cardinalis
Aulæ olim Præfectum ;
Metropolitanæ modò Eccleſiæ
Canonicum Ordinarium,
ſanâ ſæculi, Cælique ſapientiâ
eximiè inſtructum ;
& Faticoſorum Academiæ amantem ;
& mihi ab amicitiâ benigniſſimâ
præcipuè propenſum.

De admirabili ſimulacro
SERVATORIS NOSTRI CRVCIFIXI,
quod in Vitis radice
à Natura ad viuum elaboratum
aſſeruatur in veteris Caſtellæ
Ciuitate Valliſoleti.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Euangelij Io: cap. 16.
Ego ſum Vitis vera,
Sancto Auguſtino tract. 8. in Io. exponente.
*Sic enim dicitur Vitis per ſimilitudinem,
non per proprietatem.*

QVod ſim Vitis Ego; non eſt translatio: *cerne:*
Sum Deus in Cruce: ſum veraque Vitis Ego.

In

In admirantem, quod Nobilis aliquis Vir hoſti ſuo pepercerit.

DISTICHON.

NOn hominem miror flecti clamore precantis:
Flecti hominis miror voce precante Deum.

In Neronem iubentem exponi canibus, ſub ferarum pellibus Chriſtianos; vt eò faciliùs diſcerperentur.

TETRASTICHON.

NE lacerate, canes, Agnos ſub pelle ferarum;
Sed ſub pelle hominis dilacerate feram.
Quis neget, eſſe feram plenam feritate Neronem?
Ampliùs eſt cunctis quin ferus ille feris.

Sancti Thomæ Aquinatis ad ſororem ſuam poſcentem, quo pacto ſaluari poſſet? Reſponſio.

DISTICHON.

QVomodò ſaluari valeas, ſoror alma, requiris?
Eſt breue Reſponſum: ſi velis, aſtra petes.

Digitized by Google

Ad Problema
Sexto Calendas Martij, Anno MDCXCIX.
In Faticoſorum Academia
à
Patre D. Alexandro Vicecomite
Faticoſo Academico,
IL PENSOSO,
è noſtris Clericis Regularibus,
Metropolitanæ Eccleſiæ Pœnitentiario,
Oratione excultâ;
atque ab alijs Academicis, diuerſarum Compoſitionum genere, doctiſſimè appenſum.

An ſcilicèt plus Reipublicæ prodigalitas; an auaritia afferat nocumenti?

EPIGRAMMA.

ABſit auaritiæ noſtro turpiſſimus Orbe
Aſpectus: Mundi pernicioſa lues.
Adueniat potiùs qui ſit generoſus in omnes:
Cuius aperta ſuas dextera ſpargat opes.
Cui nocet iſte? ſibi: reliquis profuſio prodeſt;
Nec ſibi, nec reliquis præſtat auarus opem.
Quis magis ex iſtis nocet ergo duobus? auarus:
A quo nil homines vtilitatis habent.
Si quis in oppoſitum pugnabit: auare, Patrono
Delicium eſto tuo: prodige, ſiſte mihi.

Ad

Ad diſertiſſimum Oratorem.

EPIGRAMMA.

IN nos cùm fuerit tua prodiga Muſa: quid in Te
Noſtra refert laudum, nonniſi auara, vices?
Tàm benè dixiſti, ſoluens Problema: quod ipſa,
Cùm nequeat grates ſoluere; Muſa tacet.

Ad eundem ingenio, & liberalibus diſciplinis ornatum.

DISTICHON.

NAtura, & Virtus pro te pugnaſſe videntur,
Excellentèr ab hac victa ſed illa fuit.

Ad Comitem
D. Franciſcum Matthæum Tabernam
nobilioribus animi prærogatiuis refertum;
Faticoſorum verò Academiæ
Auditorem indeficientem.

TETRASTICHON.

De cane, qui pro Phrenoſchemate
Familiæ Tabernæ pingitur:
quòd eandem Carolus V. Cæſar illo inſigniuerit.

EST Inſigne tuũ canis ergo, Taberna? quid eſt hoc?
Eſt Cæli, terræ, vel maris iſte canis?
Cælicus eſt canis hic terræ, mihi credite: amicos
E ſtirpe hac fidos indicat eſſe canis.

Quarè

Digitized by Google

Quarè in aliquo Virtus omninò extincta eſt?

DISTICHON.

DEſidiâ Virtus paulatim euicta ſeneſcit:
Hinc in eo Virtus mortua deindè fuit.

Aſſerenti, iuxta communem opinionem, in hominibus maius eſſe cerebrum, quàm in alijs animalibus.

DISTICHON.

MAius habent homines cerebrũ, quàm bruta; ſed illis
Iſtud, nè ſtupeas! eſt aliquando minus.

SANCTUS CAIETANUS Clericorum Regularium Fundator, Puritatis amiciſſimus reddere cauſam oſtenditur, cur ſemper ſe cilicijs muniat?

DISTICHON.

PUngenti corpus, poſcis, cur induo veſte?
Lilia ſpinarum cingere ſepe volo.

Laſciui amantes odio tandèm ſe inſectantur.

DISTICHON.

QVis dicat, quod Amor Veneris ſit filius? ecce:
Non amor, aſt odium naſcitur ex Venere.

Su-

Suſtinenti, veram ſapientis Imaginem eſſe Solem.

DISTICHON.

Dicitur haud benè Sol ſapiens: tumulatur in vndis
Veſpere Sol: ſapiens nocte, dieque micat.

Ad Dominum IESVM Chriſtum Auctoris affectus.

DISTICHON.

PRo te, me, IESV, tibi debeo: debeo pro me!
Pro te, an plùs pro me debeo? dicat amor.

Amico monitum ex Periandri Corinthiorum Regis vnius è ſeptem Græciæ Sapientibus ſenſu: *In rebus proſperis, eſto modeſtus: in aduerſis, compoſitus.*

DISTICHON.

SI tibi ſunt anni felices, eſto modeſtus;
Sin aduerſantes, ſis homo compoſitus.

IESUS ſuper fœnum locatur, cùm in lucem prodit.

DISTICHON.

DEcubat in fœno, vaſtum qui condidit Orbem;
Diuinò vt totus Mundus amore flagret.

In

Digitized by Google

In quendam factum caluum, & ſenem ineptum.

DISTICHON.

ANtè capillatus fueras; nunc abſque capillis:
Indè tibi leue nunc eſt caput, antè graue.

Beata Virgo MARIA Cælos aſcendens.
Electa vt Sol. Cant. 6.

DISTICHON.

LInq;Hypogeon,ad Empyreũ tranſcende Apogeon;
Solis vt æterni, Virgo, Parelia ſis.

DE EODEM ARGUMENTO ALIUD.

VIrgo Sole micans aſcendis, luce perenni
Vtilis; & nullo iam moritura die.

Sancta Praxedes Virgo Romana,
cùm maximam Chriſtifidelium ſtragem
ferre non poſſet, precatur mori.

DISTICHON.

E Tot Virgo malis euadere morte peroptat:
Et non Martyrio? Martyr amoris erat.

ALIUD DE EODEM.

NE videat multas Praxedes, percupit vnam
Mortem: immortales viuere digna dies.

Ad

Ad Comitem D. Philippum Archintum
Regium Mediolani Senatorem, &c.
multiplici affluentem ſapientiâ,
Faticoſorum Academiæ Principem III.
IL SOSPESO,
illiusque perpetuum addictiſſimum Mæcenatem.

Quo pacto tribus mortis terriculamentis
occurramus.

TETRASTICHON.

EXprobrat: inſequitur nos mors: & decipit: ergo
Arte pari vigiles aggrediamur eam.
Nos obiurgemus: nos feſtinemus ad aſtra:
Attenti, nè mors inſidietur iter.

DE EODEM DISTICHON.

MOrs nos inſequitur: nos feſtinemus ad illam:
Illius in manibus vita beata manet.

Sancta Margarita Scotorum Regina,
non modò numeroſis quotidiè egenorum gregibus ſtipem præbet; verùm etiam trecentis aliјs, flexo vtroque genu dapes offert; pedes abluit; humillimèq; inſeruire, ſolemne habet.

DISTICHON.

HIs ſi delicijs ſemper gauderet egeſtas,
Semper egeſtatis vita beata foret.

DE

DE EODEM ARGUMENTO
aliud ad Sanctam.

QVanti paupertas ſit habenda, ò diſceret omnis
A te! eſſet nobis; vt pretioſa Deo.

Lactantij Firmiani
de falſa Religione, vel Sapientia c. 1.
Conſilium.

DISTICHON.

Liber ab errorum vis eſſe phalangibus? vnum
Peruideas; quarè natus es; & ſat erit.

Amicum virum probum,
multis aduerſantium calumnijs petitum,
conſolatur Auctor.

DISTICHON.

QVòd nulli noceas: quòd proſis omnibus, hinc te
Figunt tela; malos optima Vita ferit.

Diſticho effertur dictum Heſiodi:
Virtutem poſuere Dij ſudore parandam.

VIrtutem poſuere Dij ſudore parandam?
In facili poſuit verus amore Deus.

San-

Digitized by Google

Sanctus Simeon Salus,
vt deſpiceretur, ſe dementem ſimulauit;
& adoleſcentulam oſculatus eſt.

DISTICHON.

TE ſtultum ſimules: imitabor; in oſcula tendas:
Non imitetur quis, ni Salus ipſe foret.

ALIUD DE EODEM.

TE ſequar in reliquis; ſed in oſcula danda, caue-(bo;
Non ego nanque Salus; crederer eſſe ſalax.

DE EODEM ALIUD.

SIt tibi fœmineis dare virtus oſcula labris;
Non mihi: ſtultitiam hanc fingere, ſtultitia eſt.

Alexander Magnus Rex Macedo
interrogatus, vbi theſauros haberet?
amicos demonſtraſſe fertur.

DISTICHON.

SI nunc in veſtris Reges numeratis amicis
Theſauros; Vobis nummus an vnus erit?

ALIUD DE EODEM.

CVm verùm ſit, Rex, quod ſit theſaurus amicus:
Aſſero: theſaurus vix reperitur humi.

De

De Sancto Narciſſo,
cuius operâ, primùm è meretrice caſta,
ac deindè Martyr, Sancta Afra.

DISTICHON.

NArciſſum Nymphas proprijs feciſſe procaces
Sit fabella modis: caſta ſit Afra tuis.

Reſponſio Iudicis Spartani ſuper tarditatem
in ferendis mortis ſententijs. Plutarch.
de apophtem. Lacon.
Quia ſcilicèt non eſt correctio errori.

DISTICHON.

CVr Spartæ de morte datur ſententia tardè?
Nam nihil emendat mortis in Orbe mala.

SEU.

NVlla vnquàm de vita hominis cunctatio longa:
Vita emendari, non Libitina poteſt.

Scriptori monitum
Ex Plinio lib. 5. epiſt. 6.

DISTICHON.

SI bonus eſſe cupis Scriptor, titulum lege: quidue
Cœperis, attento ſcribere quære tibi.

San-

Sanctus Laurentius Martyr quoſcunque à cæcitate incolumitati reſtituit, ſanctæ Crucis ſigno.

DISTICHON.

MArtyris, & Chriſti Crucis an contraria vis eſt?
Hæc lucem Mundo ſuſtulit: illa tulit.

ALIUD DE EODEM.

CVr tibi ſanandi cæcos collata poteſtas?
Te queat vt mirum quisque videre Virum.

In quoſdam imprudentes adoleſcentes, ſenes ſe vocitantes.

DISTICHON.

VT totiès obſeruo: ſenes *nos eſſe* videmur;
Et ſumus infantes: ſimus, *vt opto*, ſenes.
Ex Martiali l. 6. epigr. 64.

Auctoris deprecatio ad Deum pro ſalute æterna.

DISTICHON.

TE quòd amem, mi Numen amans, te flagito ſup-(plex:
Nè miſer à facie cogar abeſſe tuâ.

INSCRIPTIONES

Ad Archiepiſcopi Mediolanenſis
D. IOSEPHI ARCHINTI, &c.
Electionem.

I.

Generis, Nominis, literarum,
Morum, meritorum, Legationum
Splendore,
Abbas D. IOSEPH Archintus
Noſter Academicus Faticoſus

IL DISVNITO;

Prolegatus Bononiæ,
Archiepiſcopus Theſſalonicenſis,
Ad magnum Hetruriæ Ducem,
Venetam Rempublicam,
Hiſpaniarum Monarcham
Apoſtolicus Nuncius,
In Patriæ beneficium,
Incrementa felicitatis promiſit,
Ab INNOCENTIO XII. Summo Pontifice,
Deo fauente,
Ter dignus Paſtor creatus
Mediolanenſi Gregi:
proximè redditurus;
Vt pleniùs reddat,
præcipuo hodiè cultu,
A Clericis Regularibus S. Antonij Mediolani
Maieſtati Diuinæ
Commendatur.

II.

II.
Gratias referas Deo; & plaudas
D. IOSEPHO ARCHINTO
Sacro tuo Principi Archiepiſcopo
planè Optimo,
Mediolanenſis Eccleſia:
Habes iam,
Quem preces impetrarunt è terris:
Quem
Deus in Cælis decreuit;
Quem
In Conſiſtorio,
Maximus Pontifex INNOCENTIVS XII.
Anno MDCIC. Pridiè Calendas Aprilis,
Tuum declarauit Antiſtitem:
Gratias referas Deo; & plaudas.

S. Ferdinandus III.
Caſtellæ, & Legionis Rex
ſingulas ſuas Victorias
aduersùs infideles
in Deiparam referens.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Romanæ Eccleſiæ:
Gaude, MARIA Virgo:
cunctas hæreſes
ſola interemiſti in vniuerſo Mundo.

ATtribuis Fidei palmas, Rex, iure Mariæ:
Omnis enim victrix hæreſis vna fuit.

S. Timotheus Epiſcopus, & Martyr,
vbi Epheſinum Populum Dianæ immolantem
remouere conatur, lapidibus obruitur.

DISTICHON.

PAſtor oues lapidis ſolet ictu auferre periclis
Paſtor per proprias en lapidatus oues!

De Sorte.

DISTICHON.

CÆcam te vocitant omnes, & benè: greſſus
Nam Deus ipſe tuos quò mouet, ipſa moues.

ALIUD DE EODEM.

NOn quia luminibus careat, ſors cæca vocatur;
Sed quia nos cæcos turpitèr illa facit.

Ad Valentem Imperatorem,
quòd è tribus calamis ab eo adhibitis
ad ſcribendam
contra Sanctum Baſilium Magnum exilij legem,
nullus reddidit atramentum.

DISTICHON.

COrrige te, Cæſar: te triplex admonet, ecce,
Penna: ter admonito pœna ter adſtat atrox.

Ad

Ad amicum
de cuiuſdam cum eo iurgijs.

DISTICHON.

IVrgia non lædunt inſontes: deſidis arma
Non poſſunt fortis cor penetrare viri.

Super illud Domini ad Moyſen.
Exodi 32. 20.
Dimitte me, vt iraſcatur furor meus.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Malachiæ Prophetæ 3. 6.
Ego Dominus, & non mutor.

ME dimitte, meus furor iraſcatur vt Orbi:
Sum Dominus: nullo tempore mutor Ego.

ALIUD DE EODEM.

Alluditur ad illud apud Matthæum 11. 29.
Ego ſum mitis.

IRaſci potes? ah! non iraſci potes: etſi
Te dimittat homo: es mitis, vt antè, Deus.

Ad Patrem D. Ioannem Magenis
Clericum Regularem
primi Nominis Concionatorem,
raráque erga B. V. M. pietate
ardentem.

De Beatiſſima Virgine MARIA
afflictiſſimâ pictâ.

DISTICHON.

EStne Maria dolens, animatus an eſt dolor ipſe?
Eſt dolor ipſe: fuit facta dolore dolor.

Ad amicum priùs diſſimulantem,
tùm reprehendentem Auctoris
defectus.

DISTICHON.

DIſplicet, erranti mihi te placuiſſe tacentem;
Aſt obiurgantem diſplicuiſſe, placet.

Ad Patres ſacri Ordinis Redemptionis
captiuorum.

DISTICHON.

LIngua, Redemptoris quæ vos neget eſſe ſequaces:
Cùm captiuorum quisque Redemptor erit?

Carolus V. Cæſar
Ludouicum Arioſtum celebrem Poetam
laureâ donans.

HEXASTICHON.

AN magis accipiens laurum ſit dignus honore;
Cæſar, an hanc tradens ſit mage, Muſa petis?
Hæret Fama priùs, tùm ſubdit: maxima vtrique
Gloria debetur: ſemper vtrumque canam:
Iuſtitiam Caroli meritum decorantis; & vnâ
Virtutem Vatis, promeritumque decus.

De eodem argumento Diſtichon.

CArole, non laurum Vati concede, ſed aurum:
Sic tibi, ſic illi gloria maior erit.

Ad Sanctum Alcimum Epiſcopum Viennenſem, qui ſacram Geneſim carmine expoſuit.

DISTICHON.

NVminis excellens opus, Alcime, debuit à te
Excellente ſoli Vate, Polique cani.

In cuiuſdam dictum.

DISTICHON.

NOn eſt in pretio, Virtute, aut Sanguine fulgens,
Si ſit inops? pretium Nobile ſemper habet.

Mortem coactè oppetenti reſpondetur L. Annæi Senecæ epiſt. 77. ſententiâ:
Mori times? quid porrò iſta vita? non mors eſt?

DISTICHON.

OPtas ergo mori ſemper? vis viuere nunquàm?
Noſce, quòd hîc eſt mors viuere; vita mori.

In hominem ignorantem, vanum ſui æſtimatorem.

DISTICHON.

NIl ſapis; & ſapiens dici vis primus? at vnde?
Noui: ex mente tua, primus in Orbe Vir es.

In maximè ignarum.

DISTICHON.

NOn eſt ingeniũ tibi, nec doctrina: quis ergo es?
Qui tibi tantus es? es magnus in Orbe ſtupor.

S. Honuphrius Anachoreta, ad Eremum pergit, Angelo, igneâque columnâ præcedente.

DISTICHON.

ELecti quod ſis populi, non ambigo, Onuphri:
Angelus, & flagrans quando columna præit.

Aucto-

Ad D. Carolum Comitem Archintum
multis Patriæ honoribus,
vel ſuâ in iuuentute inſignitum:
tùm aurei Velleris Equitem creatum, &c.
Faticoſorum Academiæ exercitationes
nonnunquàm amabili ſuâ præſentiâ
exornantem.

DISTICHON.

TAm iuuenis Carolus ſplendes tot honoribus au-(ctus!
Ah! Vir es ante Virum: Pallade, Marte ſenex.

SANCTI CAIETANI
Clericorum Regularium Inſtitutoris
cor igneis aliis ad Cælos volans.

DISTICHON.

UNde Thienæi de terra venit ad Axem
Cor? dedit huic alas Numinis ignis, Amor.

De terrenarum rerum inconſtantiâ.

DISTICHON.

NIl ſtabile in Mundo: voluuntur cuncta diurno
Motu: cùm mortis ſint ſubiecta rotæ.
Ex Lucretio l. 3.

Ami-

Amico
de ſibi inuidentibus conquerenti.

DISTICHON.

Vllâ nè lædaris ab inuidiâ, miſer eſto:
Hac miſeros ſolos peſte carere ſcias.

De IESU in Bethleem inuento
à Paſtoribus, & non ab Herode.

DISTICHON.

Simplicitas Numen reperit; non inuenit illud
Vis prudens, immò calliditate potens.

De Paula N. diuite viduâ.

DISTICHON.

Alluditur ad reſponſum Martiæ Catonis filiæ
ad nouas nuptias rogatæ, ſcilicèt:
Nullum reperio, qui me magis,
quàm mea quærat.

Nubere cur iterùm renuit Paula orba marito?
Ah! præ coniuge dos quæritur: orba videt.

Ad

Ad Patrem D. Ioſephum Stampam Cler. Reg.
è ſacra Somaſchæ Congregatione
Academicum Faticoſum,
IL DIVISO,
Virum religioſitatis vnà, & ſcientiarum,
ac Poëſeos ſplendore clariſſimum.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Senecæ de 4. Virt. t. de con.
Sales tui ſine dente ſint, ioci ſine vilitate.

DOctus es Orator, cultusque Poëta: venuſti
Sunt tibi, Stampa, ioci: ſunt ſine dente ſales.

Contra illud Prouerbium,
Stultum eſt ſecum loqui.

DISTICHON.

ERrant nonnunquàm Prouerbia trita: loquatur
Si benè quis ſecum, quomodò ſtultus erit?

Ad amicum
pluribus, ingentibusque inuolutum malis.

DISTICHON.

MVlta, & magna pati, magnorum ſcito Virorum
Eſſe: velis tanto, dignus, honore frui.

Ad

Ad Problema
In Faticoſorum Academia,
Septimo Idus Aprilis, Anno MDCIC.
Oratione, & Verſibus egregijs
exſolutum: ſcilicèt:
An inter Ethnicos laudabilius fuerit,
ignoſcere, an vlciſci?

EPIGRAMMA.

Maiorem veniâ mereatur, an vltio laudem
Inter Gentiles, noſter Apollo petit?
Difficilis non eſt Reſponſio: fertur ab ipſa
Naturæ linguâ; nec ratione caret.
Fœminei propria eſt animi Vindicta; Virili 1
Degenerem, qui ſe vindicat, eſſe notat.
Quin & inhumanos humanâ mente recondi
Demonſtrat ſenſus vltio digna feris.
Et benè digna feris, hominum non corde; ferini 2
Prodit ab ingenij quippè ferina ſinu.
Pìttacus hinc veniam vindictæ prætulit; illam
Maiori dignum laude fuiſſe docens.

1 *Ex Iuuen., & Seneca.*
2 *Ex Sen., & Iuuenali.*

Ad ſuauiſſimum Oratorem
de prædicto Problemate
D. Caietanum Caſtillionæum Abbatem, &c.
huius Cognominis Marchionum
filium, & fratrem,
Indolis Equitem præſtantiſſimæ.
Academicum Faticoſum,
IL CVRIOSO.

EPIGRAMMA.

Regia, Caietane, tuis facundia labris
Fluxit: ut eſt ſtirpis Regia vena tuæ.
Gratulor; & parites nequeam cùm reddere grates,
Regali veniam, quam rogo, more dabis.
Sic Problema nouo firmabis robore: nempè,
Parcere ſupplicibus gloria Regis erit.

Ad Patrem D. Io. Bonifacium Bagattam
Clericum Regularem,
noſtræ Congregationis Conſultorem,
Scriptorem illuſtrem;
qui & admirabilis laboris, ac ſtudij Opus
euulgauit ex congeſtis
à Patre noſtro D. Aloyſio Nouarino, ſcilicèt
Admiranda Orbis Chriſtiani.

DISTICHON.

Mirus es ingenio: ſcribendo mirus: ob iſtud
Vnus debueras tot dare mira typo.

San-

Sancta Catharina Virgo Senenſis
è ſacro PP. Prædic. Ordine
ſpinas, non roſas,
à diuino Sponſo oblatas eligit.

DISTICHON.

CVr ſpinas Catharina cupit? Virtutis habebat
Corde roſas; ſpinas Sponſus vt addat, auet.

Ad N. N. pro DEI amore
à canentium mulierum dulcedine ſe abſtinentem.

DISTICHON.

SIrenum cantus noſter declinat Vlyſſes:
Aures, haud cerâ, tutat amore DEI.

De quodam luxurioſo homine impœnitente.

DISTICHON.

CLamo, nec errores laſciuus flet, vel abhorret:
Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.
Ex Propertio ad Cynthiam.

De quodam illuſtri adoleſcente
Auos ad ſui gloriam
diſaudante.

DISTICHON.

IActat Auos: laudo, ſi geſta ſequatur eorum,
Virtuteſque: in ſe tunc legat ipſe decus.

De

De morte, ad mortalem.

DISTICHON.

QVid trepidas, homo, bella, famem, morboſq; luem-(que?
Et metit in medijs ſi Libitina iocis?

Ad illud Actuum cap. 20. 35.
Beatius eſt magis dare, quàm accipere.

DISTICHON.

CVr magis eſt, iniquis, dare, Chriſte, beatius? ob te
Qui dat humi; in Cælis centuplicata refert.

Adam in Caluariæ Monte
ſub IESU Cruce ſepultus.

DISTICHON.

CArpſit Adam mortis fructus ex Arbore vitæ:
Hic vitæ fructus ex Cruce carpit Adam.

Ad quendam Virum felicem, & optimum, &c.

DISTICHON.

MEns cum ſorte bonâ rarò bona iungitur, eſt vox;
Aſt in te, ſorti eſt mens bona iuncta bonæ.

Marchioni
D. Ludouico Mazentæ
pijſſimo, & maximè cultæ eruditionis
Equiti, &c.
Faticoſorum Academiæ
amiciſſimo Auditori.

Super illud Adagium:
Maior pars hominum, expectando, moritur.

DISTICHON.

MAior pars hominum, expectando, lumina vitæ
Claudit: an expectat viuere? an illa mori?

Excuſant ſe parentes quidam,
eò quòd filio in afflictionibus eius
non compatiantur.

DISTICHON.

NOn tibi compatimur, fili? patientia maior
In te, ſi nullus compatiatur, erit.

Sancta Catharina Senenſis ſpineam, non gemmeam, à cæleſti Sponſo coronam,
ſibi poſcit donari.

DISTICHON.

NOn mihi de gemmis, de ſpinis opto coronam;
Hæ cordis puras ut tueantur opes.

In quendam hominem ſegnem.

DISTICHON.

TV nimis inſtabilis: te non intendimus: eſto,
Si vis eſſe bonus, nec bonus eſſe, piger.

IN EUNDEM ALIUD.

Alluditur ad illud Prouerbiorum 13. 4.
vult, & non vult piger.

VIr bonus eſſe cupis; nec vis bonus eſſe: volũtas,
Quæ vult, & non vult, eſt tua, nempè pigri.

In homines ingrati animi vitio laborantes, ſumptâ Sancti Barnabæ Apoſtoli occaſione, qui beneficus omnibus, lapidum grandine ab ingratorum rabie inuaditur.

TETRASTICHON.

CYprus Apoſtolicam fortunatiſſima legem
Audit; at in ciuem ſæuit iniqua ſuum.
Miremur! priſco quo more remuneret Orbis:
Obruitur ſaxis, qui bona vera dedit.

Ad amicum Equitem generoſum varijs Fortunæ euentibus agitatum.

DISTICHON.

EXere vim cordis: nam fœmina quælibet eſt ſors;
Et decet, vt vincat fœmina nulla Virum.

Ad Sanctum ſenem Simeonem cantantem:
Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace.
Lucæ 5. 29.

DISTICHON.

QVisque tibi credit, quòd eas in pace, Sacerdos:
Si tecum Deus, haud pax ſimul eſſe nequit.

ALIUD DE EODEM.

P*Acificus puer eſt, quem fulcis: ocyor ito*
In pacem; & nobis Pacifer eſto, ſenex.

In maledicum.

DISTICHON.

LIngua tua eſt virus, ſed non in corda penetrat:
Me reprobum accuſat; non tua lingua probat.

De corporea Deiparæ pulchritudine.

DISTICHON.

COrpore pulchra fuit Virgo: pulcherrima Virtus
Cui fuit; & decuit, corpore pulchra foret.

De

De morte, & vita.

Sancti Ambroſij noſtri Mediol. Antiſtitis ſenſus ſerm. 42. de fide Reſurrectionis, his verbis: *Tantis malis hæc vita repleta eſt; vt, comparatione eius, mors remedium putetur eſſe, non pœna.*

DISTICHON.

VIta adeò eſt intexta malis, vt non mihi pœna;
Sed Libitina, mei ſit medicina mali.

B. Andreas Auellinus Clericus Regularis vtriuſque Siciliæ Patronus, vix natus, mirum in modum, ſe Crucis ſigno munit.

DISTICHON.

CVm Cruce vitales quid agis vix ortus in auras?
Ah! volo ſit belli teſſera chara mei.

ALIUD DE EODEM.

CVr Crucē amas, ô Pupe? mea hæc ſpes vnica vitæ eſt:
Alter vt Andreas in Cruce ſpero mori.

Sanctorum ſeptem fratrum Martyrium libentèr ſuſceptum, Sanctâ Felicitate illorum matre animante.

DISTICHON.

PIgnora ſi Mundo peperit ſeptena Virago
Ventre; eadem Cælo digniùs ore parit.

Digitized by Google

Cur non mortua in tanto ſpectaculo genitrix ?

DISTICHON.

AD ſeptem vſq; vices gnatorum in morte obijſſet
Mater; ni vitam ſuppeditaſſet amor.

Verbis tactus interiorem animi ægritudinem manifeſtat.

DISTICHON.

COrpore vt ægrotans, ex pulſu noſcitur; æger
Sic animo, quando tangitur oris acu.

De negligentibus, & diligentibus.

DISTICHON.

SVpplicium pigris labor eſt; at magna voluptas
Eſt, vbi ſolertes occupat ipſe labor.

Ad Chriſtum Dominum,
qui, facto collyrio ex luto, cæcum reſtituit ſanitati.
Lucæ 9. 6.

DISTICHON.

ERgo luto ſanas oculos, mi Chriſte! refeci
Sic hominem; vt videat, quod foret antè, lutū.

Ad

Ad Patrem D. Ioſephum Mariam Brembati
Clericum Regularem,
Eccleſiæ S. Agathæ Bergomi Præpoſitum,
notiſſimum verbi Dei Præconem.

Super S. Gregorij Papæ lib. epiſt. 26.
cuidam Andreæ monitum:
Siue volentes, ſiue nolentes, quotidiè ad finem tendimus; ſi ergo bona quærimus, illa diligamus, quæ ſine fine habebimus; ſi autem mala pertimeſcimus, illa timeamus, quæ à reprobis ſine fine tolerantur.

DISTICHON.

TEndimus ad finē, fratres: timeamus: amemus:
Vel ſine fine malum: vel ſine fine bonum.

Cùm de Abſalom obuerſaretur Auctoris menti ſententia à S. Io: Chryſoſtomo prolata:
Illic eum diuina iuſtitia comprehendit, vbi diadema paternum geſtare contendit.

DISTICHON.

VLtio iuſta Dei! ſuſpenditur ille capillis,
Hos ſuper ambiuit qui diadema Patris.

Sanctus Ignatius ſacræ Societatis IESU Fundator
Venereum in adoleſcente appetitum
gelidis immerſus aquis extinguit.

DISTICHON.

QVæ ſit in hoc ardens Virtus dignoſcitur Igne:
Vitales Venerem funerat inter aquas.

An obtineatur; an conſeruetur difficiliùs Principum fauor?
Problema
In Faticoſorum Academia,
Quartodecimo Calendas Iunias, Anno MDCIC.
coràm
D. Hieronymo Comite Gambarana
Regio Mediolani Senatore, &c.
Viro Virtutum ornamentis ornatiſſimo
præſtitum.

ELEGIA.

PRincipis, ignoras? vti vitrum gratia ſplendet:
Quippè retenta manu, fracta repentè cadit.
Flat tanquàm zephyrus quandoq;: vehitq, venuſtū
Ver; hyemémq; ferens, Ver breue turbo rapit.
Difficiles aditus ad Principis intima; ſed non
Difficiles lapſus Principis Aula parat,
Pluma leuis fauor eſt Aulæ: fugit ille gerentem:
Creditur vt ſtabilis: non rediturus abit.
Principis, vt glacies, fauor eſt; percuſſa potenti
Quæ Solis radio, mox liquefacta fluit.
Hic hominum nitor eſt fulgur: quod, Solis adinſtar;
Fulget; in ictu oculi ſed perit in tenebris.
Ridet

Ridet vt Iris honos veniens à Præſide Regni;
At citò honorati deſinit in lacrymas.
Noui ego, quòd, magni ſolas ob Principis umbras,
Deſeruit claros gratia ſumma Viros.
Inquirens ego tùm, quo, nocte, dieq;, labore
Illam apud Heroes obtinuere ſuos?
Sciui, alſiſſe priùs, ſudaſſeq; tempore longo;
Terreno vt poſſet Numine quisque frui.
Principis haud facilè per nos acquiritur ergo;
Auolat aſt facilè Principis ales amor.
Excipe, ni Princeps præſtet Virtutibus: Huius
Gratibus in dignos vis adamantis ineſt.
Omnia vult equidem prudens cognoſcere Virtus:
Virtutem ſimilis poſteà ſemper amat.

Ad D. Antonium Doctorem Gatti publicum in Ticinenſi Vniuerſitate Lectorem, *Academicum Faticoſum,* IL TARDO, De prædicto Problemate eloquentiſſimum Oratorem, decidentem: *Quòd Principum Virtute præditorum Gratia difficiliùs amittatur.*

EPIGRAMMA.

CVm tibi ſit princeps facundia, Gatte: precabor;
Vt tua donetur gratia blanda mihi.
Regia ſi tua me Virtus exornet amore;
Tu mihi non fluxo tempore fautor eris.

Ad S. Petrum de Morono Pontificem Maximum Cæleſtinum V.
Cæleſtinorum Monachorum Parentem, &c.
Cuius feſtum hodiè celebrat diem Romana Eccleſia.

EPIGRAMMA.

admirabilem animarum exprimens emendationem;
quam è tanti Patris in terris degentis intuitu peccatores hauriebant:
recitatum in Faticoſorum Academia, currente eiuſdem Sancti ſolemnitate;
ac præſente P. D. Innocentio Barcellino
Diui Petri Cæleſtini Monaſterij Mediolani Abbate meritiſſimo.
Academico Faticoſo,
IL VOLONTEROSO.
Viro literatiſſimo, &c.

Mirandū! quod, Petre, tuo compungitur errans
Aſpectu, culpas corripiendo ſuas.
Nec magis hoc miror: Speculi cæleſtis adinſtar
Fulgida Petra malis integritate mices;
Corpora ſanabat ſi Petrus Apoſtolus vmbrâ;
Tu ſanas mentes lumine, Petre, tuo.
O! Te peccantes, vtinam, quicunque viderent;
Horum ſana tuo corda nitore forent.

In

Digitized by Google

In ſolemnitate
Aſſumptionis Beatæ Virginis MARIÆ.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Cant. 6. 9.
Quæ eſt iſta, quæ progreditur, &c.:
pulchra vt Luna, electa vt Sol.

QVid Sol in terris? quid Luna moraris? in Axem
Tolle gradum: Lunæ eſt, Solis & ille locus.

Peccator ad Chriſtum IESUM.

DISTICHON.

Alluditur ad S. Ambroſij noſtri dictum,
qui lib. 7. in Lucam, ait:
Habet cauſam ignoſcendi tibi Redemptor,
nè pro te gratìs mortuus ſit.

PArce Redemptor: habes, quarè mihi parcere debes:
Nè pro me gratìs mortuus eſſe velis.

Sancta Clara
Seraphici S. Franciſci Ordinis Virgo
Saracenis Monaſterium ſuum inuadentibus
intrepida obſiſtit
cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

DISTICHON.

NEc ſibi, nec ſocijs mortem timet iſta Virago:
In manibus Vitam fert, Saracene, ſuis.

Sen-

Sententia S. Auguſtini in pſal. 41.
Quomodò valuas aperis ad Chriſtum? cupiendo Regnum Cælorum, & timendo ignem gehennæ.

DISTICHON.

EXoptare Polum, nec non trepidare gehennam;
Sunt valuæ, ad Chriſtum queis penetrare vales.

Ad S. Chriſtinæ Virginis, & Martyris aſpectum idola in puluerem abeunt.

TETRASTICHON.

VEſtra ſit hic, gentes, mens: en idola teruntur
Solo Chriſtinæ Virginis intuitu.
Virginis aſpectu, nec mirum idola terantur:
A Chriſto accepit Nomen, & Imperium.

Ad eandem Virginem, & Martyrem ab igne, & aquâ illæſam prodeuntem.

DISTICHON.

ES per aquam, ſimul es, Chriſtina, probata per ignẽ:
Mundior hinc Chriſti Sponſa probata nites.

Platonis, Plutarchi, & S. Auguſtini ſenſus:
Nulla cupiditas, ſumma felicitas.

DISTICHON.

INfelix priùs, vt cupidus, fui in Orbe: ter olim
Viuere ego felix, nil cupiendo, volo.

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini lib. de Chriſtiana Diſciplina c. 12. Conſilium:

Quotidiè rogas, quoniam mors ventura eſt; vt bonam mortem det tibi Deus, & dicis: Deus auertat à me malam mortem; nec tamen dicis: bonam vitam det mihi Deus: auertat à me malam vitam; plus ergo amas mortem tuam, quàm vitam tuam: quia malè mori times, & malè viuere non times. Verùm age: vis facilè conſequi bonam mortem; muta timorem: time malam vitam; & ſic non timebis malam mortem: quia non poteſt malè mori, qui benè vixerit.

DISTICHON.

PEſſima res, mala mors; ſed peior res, mala vita:
Si benè tu viues, non moriere malè.

Amico,
ob datum fidele monitum,
aurea dona mittenti.

DISTICHON.

FIda tibi documenta dedi: aurum reſpuo: nullum
Scilicèt illa auri ſoluere pondus habet.

ALIUD DE EODEM.

QVæ documenta dedi, nè crede remuneret aurum:
Exuperat cunctas verus amicus opes.

Sancta Thereſa
ſacri Fr. ac Sororum Ordinis Carmelit.
arctioris obſeruantiæ Mater,
ſub Columbæ ſpecie,
puriſſimam Deo animam reddit.

DISTICHON.

CVr volat in Cælum ſub imagine Virgo Columbæ?
Audijt hæc vocem ex Axe: Columba veni.

ALIUD DE EODEM.

VEnerat in pura ſpecie Deus Axe Columbæ;
Iret vt ad Cælos altera plena Deo.

Auctor in peccatoris, nempè ſui, perſonâ,
Euæ, primæ omnium Parentis, lapſum
apud S. Alcimum lib. 2. de Creatione cap. 8.
eo in carmine legens:
Tangit, & ignorans ludit cum morte futura,
illud ſic extendit ad

DISTICHON.

TAngit, & ignorans ludit cum morte futurâ
Eua: ego pecco ſciens; mortis eroque iocus.

In auarum Virtutibus non admodùm addictum.

DISTICHON.

VIlius argentum eſt auro, Virtutibus aurum:
Rariùs vt quid eas: ſæpiùs iſtud amas?
Ex Horatio l. 1. ep. 1.

Ca-

Catenæ,
altera, qua S. Petrus Apoſtolus ab Herode Rege vinctus eſt; altera, qua ſub Nerone Imperatore conſtrictus fuit, omninò adinuicèm vniuntur.

DISTICHON.

BIna catena Petri cur ſe coniungit in vnam?
Soluere quo doceat, poſſe ligare Petrum.

ALIUD DE EODEM.

NE mirere, ſit ex geminis facta vna catena:
Nulla in torque ſuo ſchiſmata Petrus amat.

Cuidam diuiti ad mortem proximo; ac tempus in viſitationibus inutilibus conſumenti.

DISTICHON.

NE conſume diem, miſer, hunc impende ſaluti:
Quippè, breui, officijs nec breue tempus emes.

ALIUD DE EODEM.

NE perdas, incaute, diem: tibi conſule; & audi:
Si fluat in caſſum hæc clepſydra, cauſa perit.

Quidam verbis læſus ſuum prodit ſenſum.

DISTICHON.

VVlnera me feriunt crudelia corde, quòd iſtud,
Vt corpus ferrum, verba ferire ſolent.

Vbi

Vbi in Faticoſorum Academia,
Decimo ſeptimo Calendas Iulij, Anno MDCIC.
clariſſimâ Oratione,
multiſq; perſpicaciſſimorum ingeniorum luminibus
perquirebatur:

Vtrùm poſſit non amari bonum?

EPIGRAMMA.

COncludunt omnes, teneatur amare voluntas
Noſtra bonum; nec ab hoc flectere poſſit amor.
Vera ſint iſta Sophis; mihi primo falſa videtur:
In promptu ratio eſt candida, plana, breuis.
Mi Deus: es terreſtre Bonum, cæleſteque, ſummum
Immò Bonum: ex nobis dic, rogo, Te quis amat?
In te cum ſpecie Bonitas conuertitur; Vnus,
Conueniunt cuncti, pulcher es, & bonus es.
Quis tuo amore flagrat? quamuis bonus undiq; profis
Cuique? amor à centro deficit anne ſuo?
Ah! Bone: tango ſcopū: cauſa eſt: nō noſceris: omnis
Te nequit, agnoſcens, non redamare Bonum.

DISTICHON.

De eodem Problemate.

SI verum, ſummumq; Bonum Te Numen amarent
Mortales, Theſis hæc vera, patenſque foret.

Patri

Patri D. Innocentio Barcellino
Monaſterij S.Petri Cęleſtini Mediolani Abbati,&c.
Faticoſo Academico
IL VOLONTEROSO;
Qui ſapienti plurimùm Oratione,
de præmiſſo immediatè Problemate
elocutus eſt.

EPIGRAMMA.

BArcelline: tuam doctrinam nouimus omnes;
Et cultæ quantâ Palladis arte vales.
Hinc te præcipuo veneramur amore: probantes
Re: non poſſe patens non coli amore bonum.

Ad eundem Patrem, Oratorem inſignem.

DISTICHON.

COnuenit, Orator, cingat tua tempora laurus:
Æui quem noſtri fecit Apollo Decus.

Reſpondetur ad quæſitum
D. Petri Franciſci Sannazarij
Iuris Conſulti ex Collegio,
nec non ex quadraginta Decurionibus
Ciuitatis Papiæ, &c.
Originis, & Virtutis claritate clariſſimi,
ſororij mei amatiſſimi.

DISTICHON.

DIgnior ornatus quinam ſit Principis, à me
Optas? vt dignis ſplendeat Aula Viris.

Ad

Ad Venerabilem Patrem
è noſtris Clericis Regularibus
D. Franciſcum Olympium
cilicijs perpetuò, & catenis ferreis
corpus domantem.

DISTICHON.

AH! ſcio cur corpus religas hinc indè catenis;
Spiritus vt ſemper liber ad aſtra volet.

De Sanctæ Crucis,
cui IESUS Chriſtus affixus eſt,
potentiâ.

DISTICHON.

SI fugat infernos manibus Crux facta tyrannos;
Quid valeat Ligni vis Crucis, indè puta.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Geneſis 3. *Eritis ſicut Dij*: nec non ad illud S. Gregorij Nyſeni in Eccleſ. 13. *Accipientes illud* Sacramentum *in nobis, idem efficimur, quod ipſe eſt*, ſcilicèt Deus: & S. Hieronymi explicantis Pſalmum 81. *Ego dixi Dij eſtis, &c.* ſic: *Ego feci vos Deos menſâ meâ.*

ESſe Deos, falſum eſt, primos potuiſſe Parentes;
Eſſe hac, eſt verum, nos dape poſſe Deos.

Amico

Amico ſe ſolum amanti.

DISTICHON.

NOllem te ſolum, mihi charus amicus, amares;
Ingratum niſi te ſolus amare velis.

In Virtutum ſpeculatorem.

DISTICHON.

Alluditur ad Plutarchi aſſertum in Apopth.

VIrtutem ſemper ſpeculeris, *non placet: illam*
Exerce; *quod erit tunc ſapientis opus.*

In Domini IESU Redemptoris noſtri Aſcenſionis ſolemnijs.

DISTICHON

Ad imitationem facti pro S. Sacerdote,
ac Martyre Aquilino
per D. Bartholomæum Craſſum
Faticoſum Academicum,
Canonicum Ordinarium Metropolitanæ Eccleſiæ
In publicis Palatinis Gymnaſijs
venuſtioris eloquentiæ Profeſſorem,
humanis, diuiniſque literis
ad admirationem vſque eruditum.

IN terris remanes, vel abis ſuper Æthera, Chriſte?
Nos, vt amans, remanes; vtque ſequamur, abis.

De quodam Artifice alioquin ingenioſo.

DISTICHON.

Alluditur ad tritum Prouerbium.

RES imperfectas noſter ſolet edere amicus:
Edere feſtinat nam nimis ille ſua.

Diſmas latro crucifixus cum Chriſto
cur Martyr appellatus à multis Sanctis Patribus,
præſertim Cypriano, Hieronymo, Auguſtino,
Hilario, Baſilio Seleucienſi, & Anſelmo:
à quo *glorioſus Martyr* vocatur.

DISTICHON.

MArtyris vndè latro donatur nomine Diſmas?
Numine quòd tulerit pro patiente Crucem.

Ad illud Cælij Rodigini cap. 1. lib. 12. Antiquit.
dicentis, quod

Sal ſit ſymbolum amicitiæ.

DISTICHON.

SYmbolum amicitiæ cur ſal? Sapientia ſal eſt:
Quippè ſapore ſuo condit amicitias.

Vndè

Vndè Romanum Pontificem, Papam dicimus?

TETRASTICHON.

Ad D. Hermetem Abbatem Redenaſcum
Faticoſum Academicum,
L'INEGVALE,
in ſpeculatiuis, & amœnioribus diſciplinis
florentem.

Pontificem Summũ, cur Papam dicimus? hinc eſt:
Quòd veluti gnatos nos amet ille ſuos.
Papa Patrem ſignat: meritò hoc decoratur honore,
Supremi qui fert Patris in Orbe vices.

Vtrùm peccata à iuſtis commiſſa, & pœnitentiâ deleta, in die Finalis Iudicij apparebunt?

DISTICHON.

Attenditur opinio S. Bernardi ſerm. 55. ſuper Cantica: & Magiſtri ſententiarum in 4. diſtinct. 47. conformis non paucis ſacræ Scripturæ locis.

Non apparebunt iuſti peccata, tremendi
Tempore Iudicij; ſuſtulit illa dolor.

Reſponſio Sancti Thomæ Aquinatis
ſuper fugam ſuam perpetuam à mulieribus;
quanuis de muliere natus eſſet.

DISTICHON.

Fœmineum quinimmò genus fugio: quia, mater
Vnde cuique venit, vix venit indè timor.

Electio, Dei nomine, Regi Dauidi à Gad Propheta exhibita, eò quòd, ob vanitatem numerare ſuos ſubditos iuſſerit: ſcilicèt de fame, bello, & peſte: Regisque acceptatio ex 2. Regum cap. vltimo.

DISTICHON.

NAm Domini pietate mihi donatur, vt optem:
Corde luem iniuſtam proluat æqua lues.

DE EODEM ALIUD.

PEccaui in numero: in numero ſit pœna: dolebo,
Me vnum, pro innumeris, non potuiſſe mori.

S. Benedictus Abbas inter ſpinas, impudicos motus interimit.

DISTICHON.

QVàm meliùs pungit dumorum, àc ſpina roſarũ:
Vix ferit hæc Venerem ſpina; ſed illa necat.

Sicut dixit Ieremias c. 32. n. 22. de aſtris, quod numerari non poſſunt: ità de Mariæ Virginis prærogatiuis Sancti Patres.

DISTICHON.

SVnt tibi tot grates, Virgo, quot in Æthere ſtellæ:
Algebra has, illas, quæ numerare valet?

De

Digitized by Google

De Ioanne Duns Scoto,
qui, licèt improbabilitèr, à pluribus Auctoribus
viuus aſſeritur ſepultus.

DISTICHON.

AMbigis, an fuerit viuus Duns, quando ſepultus?
Hunc memor æternùm viuere fama probat.

DE EODEM ALIUD.

FAtali viuus ſit mortis in æde ſepultus
Duns: erit hic ſemper viuus in ore virûm.

De Sancto Simeone Stylita,
qui fulmine percuſſus obijt.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Horatij lib. 2. Ode x.
Decidunt turres: feriuntque ſummos
fulmina montes.

MOns erat excelſæ Virtutis in Orbe Stylita:
Montes per fulmen Fata ferire ſolent.

Quomodò ſerpens ad Euam verba edidit?

DISTICHON.

EVæ non ſerpens, dæmon fuit ore locutus
Serpentis, facilem rei nouitate trahens.

Digitized by Google

Contrariorum in Mundo certamen.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Eccleſiaſtici cap. 33. n. 30. *Contra malum, bonum eſt; & contra vitam, mors; ſic & contra virum iuſtum, peccator:* *Vbi* Nicolaus de Lyra: *Quia contra malum naturæ eſt bonum naturæ; & contrà malum culpæ bonum gratiæ, &c.*

FRigida vti pugnant calidis, humentia ſiccis;
Sic mala corda bonis: ſic bona corda malis.

Sapientia Regis Salomonis 3. Regum 3.
Super diſſidium duarum meretricum,
quarum quælibet aliquem filium,
ſuum eſſe affirmabat.

DISTICHON.

IVdicium ſapiens, dignum Salomone! ſciebat,
Quod ſua diſcindi verus abhorret amor.

De ſtationibus Eccleſiarum Romæ, & alibi,
ex Summorum Pontificum beneficentiâ.

DISTICHON.

QVid ſibi vult ſtatio in Templis? ſtata tempora ſignat,
Vt pro diuina grex ſtet, & inſtet ope.

In

In damnantes librorum multitudinem.

DISTICHON.

Alluditur ad Sancti Auguſtini ſententiam 1. de Trinit. 3.

Vtile eſt, plures à pluribus fieri libros diuerſo ſtylo, non diuersâ fide, etiam de quæſtionibus eiſdem.

VT quid damnatis libros? eſt vtile plures
Eſſe ſtylo varios; queis ſit at vna fides.

Religioſi Viri ex hac vita diſcedentis ſuſpirium.

DISTICHON.

CArcere materno egrediens, in carcere Mundi
Claudor; at hoc liber carcere mortis ero.

Ex gratâ apri erga Marianum Bituricenſis Cœnobij Monachum memoriâ: quæ refertur in Theatro Vitæ humanæ, tit. M. pag. 116. n. E. redarguitur ille, penes quem non ſtat gratia facti.

DISTICHON.

PEctoris ingrati vitium quàm turpe ſit, indè
Panditur: in vili nec reperitur apro.

Occaſione Problematis,
Duodecimo Calendas Auguſti, Anno MDCIC.
In Faticoſorum Academia,
ſtrenuis ingeniorum viribus vndique repercuſſi:

Num ingrati animi vitio laborans, clarus cæteroquin Origine, Nomenclaturâ Nobilis ſit priuandus?

ELEGIA.

Nomen habens ſine re, Nomen deponat inane:
Nominibus proprium debet ineſſe decus.
Cui Genus illuſtri manat de Sanguine, gratâ
Indole ſi careat, Nobilitate caret.
Ingratum præbens ſe, ſe ſplendoris auiti,
Pectore degeneri, nil retinere probat.
Egregiè hinc Plautus cantauit: nil amat ille, 1
Ingratum qui, vi captus amoris, amat.
Muneris accepti gratiſſima vbique coruſcans
Nobilitas, cordis Nobilitate viget.
Nobilitas populos apud omnes audijt; eſtque
Optima: Virtutis nempè referta bonis.
Optima; quæ pollet; Mundo pulcherrima lucet
Nobilitas: formâ Nympha venuſta ſuâ.
Ingrata è contra turpiſſima ſemper Erinnys
Culpa: quòd ingratum gratia nulla beat.
Viſa ſcatere malis fuit illa perennibus; immò
Nil tantæ furiæ non liquet eſſe mali. 2
Quod canit Auſonius, toto fuit Orbe receptum:
Ingrato peius terra creare nequit. 3

Cuili-

1 *Plautus in Perſa act. 2. ſc. 2.*
2 *Ex M. Tull. ad Attic. 8.*
3 *In Epigr.*

Cuilibet ex nobis ergo quid Muſa reſoluis?
Problema vt ſoluam, pande, quis enſis erit?
Non moror: auſculta: fatur ſic Muſa fidelis;
Reſponſumque tuâ mente reuolue meum. 4
Ingratos poſſes donis ſpoliare merentes;
Et fortaſſe foret ſic tibi multa quies;
Abſit at à generoſo animo: Iuuenalis amicum
Conſilium potiùs te ſequi, amice, volo.
Sume cor: ingratos ante omnia pone ſodales;
Æternâ vt felix pace fruare Iouis.
4 *Ex D. Th. Aqu. 2. 2. q. 107. art. 4.*

Ad D. Iuris Conſultum
D. Gaſparem Reinam,
Academicum Faticoſum,
IL PERPLESSO,
De ſuperiori Problemate
Oratorem illuſtriſſimis collegis
valdè acceptum.

EPIGRAMMA.

NObilis eſt Virtus tibi: Sanguis Nobilis: æquè
Dicendi pulchrâ Nobilitate modus.
Te ſcit vbi gratum, reſonis Academia votis
Infert: quòd meritò Nobile Nomen habes.
Grataq; contemplans à te Problema ſolutum,
Innumeras grates ſoluit & illa tibi.

Ad hominem
de humani corporis miſerijs.

DISTICHON.

COrpore quid mortalis eris? quid es: antè fuiſti,
Quid? nihil antè: modò puluis: & indè cinis.

De

De quodam Magiſtro improbo.

DISTICHON.

SOlis multa docet verbis bona; ſed mala factis:
Hæc, quæſo, peiùs; peiùs an illa docet?

In N. N. ſenem deformem,
multisque obnoxium morbis.

DISTICHON.

NIl magis aduerſum pulchro, quàm tempus: an (in te
Non patet innumeris iſtud, amice, malis?

B. Andreas Auellinus Cler. Reg.
docet exemplo, in Venereis conflictibus
tutiorem triumphum eſſe fugam.

DISTICHON.

NOn ſemel in Venerum rediij certamine victor;
Vincere Parthorum more ſed eſt meliùs.

Auctor ſuper Pſalmum aliquem Dauidis
IESU Chriſti Paſſionem contemplans.

DISTICHON.

CVm meditor IESV pœnas, modulante Camœnâ:
Tantiſpèr reſonat dulcis, amara chelis.

Bea-

Beatiſſima Virgo MARIA DEI Genitrix, ex communi Patrum, & Theologorum ſenſu, prima Deo obtulit Virginitatis Votum: quarè etiam ab Hugone Carenſi in cap. 1. Lucæ, *Virginitatis Primiceria*: & *Virgo Virginum*; ſeu *Virginitatis Signifera* à Richardo à S. Laurentio lib. 4. de laud. B. V. dicta eſt.

DISTICHON.

Virginitas, quàm pulchra nites à Virgine! quòd (hæc
Te ſacrans prior, & ſemper, ad aſtra tulit.

ALIUD DE EODEM ARGUMENTO.

Prima Deo Virgo quòd vouit Virginitatem,
Digna fuit fieri Sponſa, Parensque Dei.

Exponitur à S. Auguſtino illud in Eccleſiaſtis c. 4. 10.
Væ ſoli, ſic:
Quis eſt ille ſolus? quis eſt ille miſer? ille ſolus eſt, qui ſine amico eſt.

DISTICHON.

Væ ſoli? quis hic eſt ſolus? cui nullus amicus:
In Mundo hos ſolos quis numerare poteſt?

Patri D. Ioſepho Mariæ Corteſio
Clerico Regulari,
celebri Concionatori,
ac humanarum, diuinarumque ſcientiarum,
etiam in Urbe Magiſtro.

De S.S. Virginum *Fidei*, *Spei*, & *Charitatis*
Martyrio
Romæ ſub Principe Hadriano.

TETRASTICHON.

T*Olle, Tyranne*, Fidem: *nè parce Sororibus eius*:
In tribus vna fides, ſpes, charis *ardet humi*.
Indè triumphabunt hæ tres ſuper aſtra Sorores;
Incipientque Fides, Spesque *habitare Polum*.

Ad remediorum pro corporali ſalute auidum dirigitur Plinij l. 24. c. 1. ſententia, nimirùm: *Remedia vera*: *quotidiè pauperrimus cænes*.

DISTICHON.

A*Vdi*: *quotidiè cænes pauperrimus*: *aptum*
Omnibus & morbis hoc medicamen erit.

In aliquem,
ob impuros affectus,
in crumena, & corpore vulneratum.

DISTICHON.

I*Nſipiens homo, non ſapiens eſt, duplici amores*
Terrenos, auri, & ſanguine cordis emens.

De

De tribus adoleſcentibus in Babylonenſi fornace illæſis.

DISTICHON.

ILlæſi iuuenes cur præſeruantur in igne?
Nil ibi, quod purget, ſedulus ignis habet.

Ad Regium quendam Miniſtrum integerrimum.

DISTICHON.

SInt alijs aliæ laudes: tibi ſufficit vna:
Reſpicis Aſtræam, præter & Aſtra, nihil.

Reſpondetur
ad Patrem Fr. Antonium Seraphinum Meazza
ſacri PP. Prædicatorum Ordinis Magiſtrum,
conſobrinum mihi gratiſſimum:
vtpotè, qui Generis ornamenta,
& ſuis mentis, animique Virtutibus
mirificè auget.

Quarè producta ſint ſpecula?

TETRASTICHON.

NOs Deus haud ditat ſpeculis, vt corpus ame-(mus;
Vel quis Narciſſus fiat imago ſui.
Vult Deus, vt ſpeculis ſimus Virtute nitentes;
Et ſit amantis amans quisquis imago Dei.

Philo-

Philoſophus moralis lib. 1. Nat. quæſt. q. 17. aſſerit:
Ideò primùm creatum ſpeculum: vt Solem perſpiciamus.

DISTICHON.

VT Solem cernam, ſpeculum Naturane fecit?
Sit: Solem cernam: Sol mihi Chriſtus erit.

Sanctus Calimerius Martyr vſque adeò Mediolanenſis Epiſcopatûs munus recuſauit, vt catenis vinctus ad illud acceſſerit.

DISTICHON.

SI fuit ad Mitram vinclis Calimerius actus;
Noſcebat, Mitræ quàm graue pondus erat.

In Aſtiagem Polymij Regis fratrem, iubentem; vt Sancto Bartholomæo Apoſtolo pellis crudelitèr detrahatur.

DISTICHON.

NOn eſt hic Paſtor proprij excoriator ouilis;
Paſtor at ob proprias excoriatur oues.

ALIUD DE EODEM.

NOſce: lupus non eſt ſub ouina pelle: quòd iſtam,
Det ſimul & vitam, Paſtor vtrinque bonus.
Ex Io: 11, 11.

Cùm

Cùm dixerit Philoſtratus, quod
Vnio in conca locum cordis habeat;

Plinius verò lib. 9. cap. 35.

Licèt uniones in Mari naſcantur; quia tamen ex rore gignuntur, ex Cælo conſtare;
exindè

EPIGRAMMA.

Ad D. Franciſcum Comitem Imbonatum Landrianum,
Academicum Faticoſum,
L' INEFFICACE,
optimè de Pallade meritum, tàm pro culta Poeſi, quàm pro Virtutum moralium cultu.

NAſcitur inter aquas Maris unio; roreq; Cœli
Paſcitur; & niueum ſumit ab Axe decus.
In Maris, iſtius Mundi, cor fluctibus exit
Humanum; rores Ætheris illud alunt.
Si cor diſpoſitum candores haurit ab alto,
Margaris indè ſui ſit pretioſa Dei.

Sancta Maria Magdalena
Lacrymis cæpit rigare pedes Domini.
Lucæ 7, 38.

DISTICHON.

LÆta poteſt fructus ſibi tam ſpondere ſalutis;
Cùm IESV plantas merſa dolore rigat.

Quid

Quid ſit in cauſa, quod totum Deus cor noſtrum velit; diabolus verò medietate etiam illius contentus ſit?

DISTICHON.

Alluditur ad vulgare axioma:
Bonum ex integra cauſa, malum ex ſingulari defectu.

VVlt totum Deus, haud medium, cor habere, vti (dæmon:
Cur? cupit ille bonum cor; cupit iſte malum.

Vbi Virginis Mariæ viſitantis, & S. Eliſahethæ viſitatæ Imagines Auctor contemplatur.

DISTICHON.

COgnatam inuiſens, repleſti Numine fætum:
Meque inuiſe: tuo Numine, Virgo, reple.

ALIUD DE EODEM ARGUMENTO.

ME peccatorem ſi inuiſens, Numine reples;
Exulat omne malum: me beat omne bonum.

Sententia S. Ambroſij Antiſtitis noſtri in ep. 10. ad Simplic.

Nemo diues eſt, qui, quod habet, ſecum hinc auferre non poteſt: quod enim hic relinquitur, non noſtrum, ſed alienum eſt.

DISTICHON.

NOn datur in terris diues: quia nil homo ſecum
Hinc fert ex opibus; ſed miſer omnis abit.

Super

Super Argumentum Faticoſorum Academiæ,
Pridiè nonas Septembris, Anno MDCIC.
DE PROTECTORE SANCTO CAIETANO
Clericorum Regularium Patriarcha:

Qua ſcilicèt de causâ,
Cor Sancti, in Oratione ad Deum volans,
igneas alas ſumpſit?

ELEGIA.

PETRO OTTHOBONO,
Tit. S. Laurentij in Damaſo
Cardinali Diacono,
S. Rom. Eccl. V. Cancellario,
Virtutis amantiſſimo,
& literatorum Academiarum Mæcenati:
Principi
Immortalis Famæ celebritate
digno.

Pondera nulla ſoli retinens, cur deſeris artus
Innocuos; & adhùc viuus ab hiſce migras?
Caietane, tuum quarè cor viſcera linquit;
Ignitisque alis carpit ad aſtra viam?
Æmulus Eliæ, flagranti haud Æthera curru;
Corde ſed ardenti cælica Regna ſubis?
Fortè, Columba, cares proprijs puriſſima plumis,
Queis ad Dilecti pergere tecta queas?
Candidus es Cignus, mores ſi ſpecto, tuosque
Actus: vt Cignus candidus ergo vola.
Es caleſtis Auis, non hoc ignoro; micantis
Sis igitur diues luminis, ignis inops.

Amba ſint potiùs lucis, quibus exilit, alæ,
Cor tibi, non ignis: qui nimis ima vorat.
Alas ignis amo, non lucis, at ipſe Thienes
Reſpondet: ſat erit lux mihi clara Dei.
Alitis an pennæ deſunt Regalis, apertum
Quæ lumen rutili cernere Solis habet?
Non deſunt: eius plumâ cor gaudet; at inquit
Cor: modò delecter Numine, pluma flagret.
Cor mihi inexhauſti flammis potatur amoris:
Quis ſtupor, in flammas exeat ignis, amor?
Vt fornax ſuccenſa, Dei mihi feruet amore
Pectus: amans flammâ cor comitante ſalit.
Theſaurus Diuo fuerat Deus vnicus: alis
Theſaurum accenſis quærit in Æde Poli.
Numinis ignis erat, qui cor ducebat amicum:
Indè cor ad ſphæram cernitur ire ſuam.
Eſt Deus ignis, amorque ſimul: coniungitur Igni
Huic amor, huic ignis, corde volante, volans.
Dignus erat Seraphim flammanti ſede Thienes;
Flammis, vt cor in hac ſede quieſcat, abit.
Flāmiferas Seraphim dum cor tamen explicat alas;
Hoc cor quis Domini deneget eſſe thronum?
Sanctorum Phœnix, vitijs nil paſſus aduri:
Exuri ſuperis geſtit, amore, rogis.
Ludens in ſancto Sapientia pectore: Chriſtus
Cor rapis; & proprio viſcera corde replet.
Quodque erat hic ſapiens ludus ſapientis Amoris,
Fit cor in æterno pectore dulcis amor.
Tot transfixit amor telis cor amabile Diui;
Iret vt in flammas victima amoris amans.
At quorsùm vibrat cor, Caietane, volatum?
Vibrat eò, cor vbi perficit alma charis.
Sed quarè binas flammarum cor gerit alas?
Æſtum cordis alunt, quando cor hiſce volat.

Fumi

Fumi alæ ſacrum Sponſæ cor amantis agebant:
Igneus hoc flammis ardor amoris agit.
Ardentèr vicit Mundum, ſenſumq; , ſtygemque:
Alas, victoris flammea ſigna, refert.
Propterea duplici flammarum fertur ab alâ
Cor: quòd amore Dei, proximi amore flagrat.
Iam ſumpſiſſe alas Diuum non miror: eiſdemque
Expreſſiſſe Crucem: Teſſera ſuauis erat.
Flammarum ſumpſiſſe Crucem nec miror; at ipſum
Optaſſe innumeras corde flagrante Cruces.

De eodem Problemate.

TETRASTICHON.

ANgelicis Diui ferri potuiſſet ab alis
Cor: quòd ei Angelicæ vis pietatis erat;
Sed non fertur iis: diuini ſumpſit Amoris
Ignitas alas, eius vt igne flagrans.

Ad Patrem Fr. Alexandrum Mariam Brianti
è ſacro P.P. Carmelitarum
S. Io: in Concha Mediolani Ordine
Magiſtrum digniſſimum,
Academicum Faticoſum,
L' IMPATIENTE,
ſuper prædicto Argumento,
pro Sancti CAIETANI laudibus
Panegyriſtam laudatiſſimum.

EPIGRAMMA.

Alluditur ad Alexandri Magni dictum reſponſiuum Arimazeti,
qui celſiſſimo Petræ Arcis loco fretus,
vbi ſuperbè multa reſpondit;
ad vltimum:
An Alexander etiam volare poßet, interrogat?
Cui Alexander: ſe proximâ nocte effecturum,
vt crederet:
Macedones etiam volare poße.
refertur a Q. Curtio lib. 7. n. 11.

SEque, ſuos Macedo ſuper alta cacumina Petræ
Poße volare, graui ſtrenuitate, canat.
Magna licèt Ducis Emathii: Virtute Briantis
Semper erit Virtus, aſſimilata, minor.
Ad Petram volet ille: Polum petit iſte: Thienis
En mirè valuit Cor ſuper aſtra ſequi!

Ex

Ex Tertulliani dicto, ſcilicèt:
Aurum, nomen terræ in igne relinquit.
De tribulatione Philoſophia.

DISTICHON.

VT ſordes aurum purgante relinquit in igne:
Sic ſua in ærumnis crimina purgat homo.

Super illud Lucæ Euangeliſtæ c. 4. 5.
Et duxit illum, Ieſum, *diabolus in montem excelſum; & oſtendit illi omnia Regna Orbis terræ in momento temporis, &c.*

DISTICHON.

REgna Redemptori dæmon cur omnia ſpondet?
Hæc quia momento præteryſſe valent.

ALIUD DE EODEM.

MOmento Satan monſtrat terreſtria Regna:
Momento vt durant ſingula dona Stygis.

Affectus ad diuinum Amorem
ſuper verba S. Gregorij Papæ hom. 21.
in Ezechielem:
O tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat.

DISTICHON.

Alluditur ad fides muſicas, de quibus
Sidonius 8. lib. ep. 9.
Quò plus tortæ, plus muſicæ ſunt.

NOs crucias, & amas, Fidicen cæleſtis Amoris:
Nam, mage torta, magis muſica chorda canit.

Sancti Auguſtini Epiſc. epiſt. 121.
ad Probam ſententia:

In tempore non vtilitèr viuitur, niſi ad comparandum meritum; quo in æternitate viuatur.

DISTICHON.

Viuit inutilitèr, qui toto tempòre viuit;
Mortis vt horrendæ ſit ſine fine reus.

ALIUD DE EODEM.

Haud trahit vtilitèr vitam, nì in tempore talis
Viuat, vt æternâ pace fruatur homo.

De felicitate felicis cupidi.

DISTICHON.

Inter felices auidum non computo: quarè?
Nam, quæ ſemper auet, non ea ſemper habet.

Ex acuto Plinij dicto lib. 2. c. 12.
eclipſes cæleſtium luminarium vocantis
ſcelera ſyderum:

DISTICHON MORALE.

Cur ſcelus *eclipſis? capio: non abſque tenebris*
Coniunctum in Mundo nam ſcelus eſſe ſolet.

D. Io-

Digitized by Google

D. Ioſepho Stampæ
Soncini Marchioni, Riuoltæ Comiti, &c.
Vrbanæ militiæ Duci,
ſedulo Faticoſorum Academiæ cultori,
Equiti ſcienti, & ſciendi auidiſſimo,
ſeriò interroganti:

De maiori literarum, vel armorum excellentiâ?

DISTICHON.

Literæ, an arma, petis, præſtét? reſpondeo: primæ;
Queis, belli, & pacis tempore, ſemper eges.

Origenis Reſponſio Hom. 23. in Numerorum libros: vbi quærit, cur magi Ægyptij virgas in ſerpentes mutare potuerint; non è contrà ſerpentes in virgas? ſcilicèt.

Non enim potuit virtus dæmoniaca malum, quod ex bono fecerat, reſtituere in bonum.

TETRASTICHON.

Serpentes nequit in virgas mutare magorum
Vox: in Serpentes vt priùs haſce poteſt?
In mala tartareus valuit bona vertere princeps;
In bona non valuit vertere at ipſe mala.

Exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione.
Lucæ 1.

DISTICHON.

In montana volas, feſtina? quis addidit alas
Intrepidas grauidæ? pectore geſtus Amor.

Ad amicum
ſuper Sancti Auguſtini ſententiam
tract. 2. in ep. 1. Io: vbi:
Talis quisque noſtrûm eſt, qualis eſt dilectio: terram diligis? terra eris: Deum diligis? Deus eris.

DISTICHON.

TAles quippè ſumus, qualis dilectio noſtra eſt:
Nè ſis terra: Deum dilige, erisque Deus.

Ad Patres ſacri Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captiuorum.

DISTICHON.

VOs IESV fratres reor eſſe: quòd, eius amore,
Veſtra ſit ob fratres vita parata capi.

Quarè boni malis, & mali bonis diſpliceant?

DISTICHON.

NOn placet ille bonis; vis causā? nam malus ille:
Nō placet iſte malis: cur? homo nempè bonus.

Quanti faciat Deus mortalium amorem erga Genitricem ſuam Mariam?
Alluditur ad illud Lucæ 1.
Et Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

DISTICHON.

VIrtutem poſuere Dij ſudore parandam:
Virginis in ſolo ponit amore Deus.
Heſiodus.

An

An Sanctus Carolus fuerit Politicus?

Problema
in huius Sancti Presbyteri Cardinalis,
Mediolanenſis Archiepiſcopi,
& Faticoſorum Academiæ Protectoris gloriam,
in eadem Academia multiplicitèr explanatum,
Anno MDCIC., Quarto Idus Decembris.

EPIGRAMMA

inhærens Ariſtotelis Doctrinæ
ſeptimo Politicorum, capite ſecundo.

Ad
FERDINANDUM DE ABDUA
S. R. E. Presbyterum Cardinalem,
tit. S. Balbinæ,
pro Sanctiſſimo Papa Clemente XI.
Bononienſem Legatum, &c.
inter Faticoſos Academicos,
IL VERIDICO,
eorumdemque Principem V.
veræ, Sanctiſſimæque Politiæ Ideam.

SVmma Politiæ viget in meditante, & agente,
Si rectè rectum ſeruet vterque modum.
Optimus, ex iſtis eſt quisque Politicus, etſi
Non huius doctam calleat ille ſcholam.
Alterutrâ fulgens Virtute Politicus eſt Vir:
Contemplans, vel agens ter bonus eſſe poteſt.
Quàm melior Carolus fuit ergo Politicus omni:
Qui meditans, & agens optima, ſemper erat?

Ad

Ad
D. Oratorem luculentiſſimum,
de eodem Problemate,
D. Michaelem Maddium,
Faticoſum Academicum,
L'AFFATICATO,
in publicis Palatinis Scholis
Græcæ, & Latinæ eloquentiæ Profeſſorem,
nec non Senatui Mediolanenſi
à ſecretis.

EPIGRAMMA.

Maddius Æthereâ fuit arte Politicus: illâ,
Qua ſtuduit Carolus viuere, pinxit Eum.
Cùm benè cõtemplans, & agens ſit Maddius, hinc eſt,
Quod Carolo Carolum protulit ore parem.

De ſuperiori Problemate.

DISTICHON.

Calliditas Carolo fuit; & fuit optima: nempè
Nunquàm velle malum: ſemper amare bonum.

Ad prædictum D. Michaelem Maddium
adhùc ætate iuuenem,
celſis Patriæ dignitatibus decoratum.

DISTICHON.

Maddi, ſic iuuenis grandes ità ſcandis honores?
Præmonſtras, ſapiens, tempora, mente ſenex.

Con-

Confirmat aſſertum auctoritas S. Gregorij P. in mor. ijs verbis:

Senes dici ſolent, non qui ſolâ temporum quantitate; ſed qui morum grauitate maturi ſunt.

Concluditur talis auctoritas Diſticho.

NOn eſt ille ſenex, vulgò qui talis habetur;
Sed qui maturâ mente, grauiſque ſapit.

Ad Sanctam Roſam Virginem Limanam è ſacro P.P. Prædicatorum Ordine Tertiariam Virtutum fragrantiâ præſtantiſſimam.

DISTICHON.

ESſe Roſam florum Reginam, conſtat odore;
Quod, Roſa, Virtutum Flos es, odore patet.

Ad amicum, poſt negotium factum, amico accurrentem.

DISTICHON.

TArdus, amice, venis: factum eſt, quod mente re-(uoluis:
Scito: quod eſt actum, non niſi ſtultus agit.
Ex Pſeudolo Plauti act. 1. ſc. 1.

Ad D. Antonium Guidobonum
Regium extraordinarij Magiſtratûs Med.
Quæſtorem,
cordatiſſimam ſuam præſentiam,
magno cum Academicorum ſolatio,
Faticoſorum Aulæ
non rarò impertientem.

De morte, & vita.

DISTICHON.

COnſona reſpondet vitæ mors, altera vt echo:
Nam bona mors reſonat, ſi bona vita ſonat.

Ad amicum.

DISTICHON.

OMnia credo tibi, cùm ſis mihi fidus amicus:
Cuncta tibi credens, hinc mihi credo nihil.

Puer Ieſus in præſepio nudus.

DISTICHON.

NVdus es ergo Deus! quis te ſpoliauit? Adamum
Vt nudum tegerem, me ſpoliauit amor.

De impiorum felicitate.

DISTICHON.

AVdaces pergunt: ſequitur Deus *ecce* ſceleſtos
A tergo: *pœnis vindicibuſque ferit.*

N. N.

N. N. Monialium Monaſterium ingrediens,
Habitum ſuſceptura,
pretioſos muliebres ornatus à ſe abigit.

DISTICHON.

Splendentes veſtes: pretioſa monilia nolo:
Solâ tectus abit ſimplicitate pudor.

Patri D. Franciſco Grauinæ
Clerico Regulari
Seminarij Meſſarrenſis Rectori;
vt prudentiâ, ſcientijs maturo,
peritoque Dei verbi Præconi.

De homine. Iob cap. 14.
Qui quaſi flos egreditur.

DISTICHON.

Est homo flos, cuius non eſt durabilis ætas:
Qui vix è terra pullulat, egreditur.

Eiuſdem Iob de homine ibidem:
Et fugit velùt vmbra.

DISTICHON.

Vix venit vmbra, fugit: cõſtans nõ permanet vnquàm:
Ergo quis, hæc hominis non ſit imago, ferat?

DE EODEM ALIUD.

Vmbra vocatur homo, cur? noſcat: noſtra quod vmbra
Æterni Solis debeat eſſe ſequax.

San-

Sanɛti Athanaſij lib. 2. de Incar.
Tertulliani lib. de anima, & aliorum
Teſtimonio,
Ob Chriſti prædicationem, ceſſarunt dæmonum
Oracula.

DISTICHON.

NE Barathri ſtupeas Oracla tacere: Deorum
Soluere non audent ora, loquente Deo.

Maria Virgo *Portus tranquilliſſimus*
ex Sancto Ephrem de laudibus B. V.

DISTICHON.

FOrmident alij Maris alta pericula Mundi:
Virgineo in Portu nauigo tutus ego.
Terentij adagium in Andria act. 3. ſc. 1.

De vi, & clementia in hominum corda.

DISTICHON.

COr vis humanum magis, an clementia flectit?
Nobile plùs hæc cor; vile ſed illa mouet.

Sanctus Lucas
egregius Pictor, Medicus, Hiſtoricus,
& Apoſtolus.

DISTICHON.

PIctor es, Hiſtoricus, Medicusq; & Apoſtolus idem:
Magnus in arte ſoli: magnus in arte Poli.

Ad

Ad filium genitor.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum Senecæ lib. 3. de ira.
Sumuntur à conuerſantibus mores.

TAlis eris, quales à conuerſantibus hauris
Mores: cura tua eſt: eſſe bonum: eſſe malum.

Ad D. Iulium
Comitem Dugnanum,
vt ſolidæ mentis, & eruditionis
Equitem,
tenerrimæ ità affectionis
erga Faticoſorum Academiam;
cui, aut intereſt; aut, ſi nequeat,
intereſſe deſiderat.

An in tranſgreſſione diuini Præcepti grauiùs peccauerit Adam, vel Eua?

DISTICHON,

In quo ſequor Cardin. Bellarminum tom. 4. controuerſiarum lib. 3. de amiſſione gratiæ c. 9. Suarez tract. de opere ſex dierum lib. 4. c. 5. aliosue Auctores.

NVm culpâ peccauit Adam grauiore, vel Eua?
Debilior ſexus debiliora facit.

Ad amicum ſuum Auctor.

DISTICHON.

SE primos iactent in amici viuere corde
Cuncti: præ cunctis, me ſatis eſt quod ames.

S. Anaſtaſius Papa iubet, viros ad Euangelium in Eccleſia ſurgere.

DISTICHON.

MAndat Papa viris, vt ad Euangelia ſurgant:
Vt ſit ad illa magis quiſque tuenda celer.

Ad hominem, ſuper illud Eccleſiaſtis 12.
Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo.
explicatur verò ſic à S. Auguſtino lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 3.
Quoniam homo, qui hoc non eſt, nihil eſt.

DISTICHON.

NI timeas, & ames Numen; mandataq; ſerues
Numinis: hoc ſcito: non homo, ſed nihil es.

Redarguitur nonnullus Cleobuli ſententiâ.

DISTICHON.

DIlatas nimiùm tua phylacteria: ſi tu
Menſurâ careas; *mente regente cares.*

In

In Pilatum,
latâ IESU Chriſti mortis ſententiâ,
manus lauantem.

DISTICHON.

SI lauat vnda manus, non ſordes ipſa lauabit;
Quas contra innocuum ſcripſit iniqua manus.

Mundus, ſcena.

DISTICHON.

NObilis intrat, inops, diues, plebeius in Orbem:
Quilibet hinc exit, ſcena dolenda! miſer.

Ad Dominum Auguſtinum N. in ſuis nimis celerem.

DISTICHON.

DIſcat ab Auguſto Auguſtinus: vt aſpera vites,
Feſtina lentè, *tutior ibis, eris.*

Nullus mortalis ſine defectu.

DISTICHON.

NE quæras hominem quouis errore carentem:
Error quippè ſuus cuique tributus erit.
Ex Catullo ad Varum.

Digitized by Google

Ad D. Paulum Camillum Carcanum
Iuris vtriuſque Doctorem ex Collegio Mediolani,
perſpicaci prudentiâ refertum:
qui crebrò
audiendis Faticoſæ Mineruæ exercitationibus
accurrit.

Inueſtigantur, quinam ij ſint, de quibus Iob 9. ait:
Sub quo curuantur, qui portant Orbem.
Quem locum S. Gregorius Magnus lib. 9. Moral.
cap. 13. & 14.
de Angelis bonis, & bonis Principibus terræ;
S. Didymus de Angelis malis; S. verò Hieronymus de viris merito, & Sanctitate
apud Deum conſpicuis
intelligunt.

DISTICHON.

ALigeri, Sancti, Reges, benè ferre feruntur
Mundum: mundanis verius anne ferunt?

De eodem argumento aliud.

QVi vehit in portum, claues qui portat vtraſq;
Iudice me, verus portitor Orbis erit.

In Periandri apud Auſonium ſententiam, nempè:
Mortem optare, malum: timere, peius.

DISTICHON.

MOrtem optare, malum, concedo: timereq;, peius,
Hoc nego: nam mortis vita timore viget.

Ob

Ob illa Apoſtoli Pauli 2. ad Corinth. 12. verba:
Scio hominem, &c. raptum vſque ad tertium Cælum, &c. & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, &c.

DISTICHON.

SCis hominem? quis homo fuit? alta modeſtia, noui,
A te accepta tegit dona ſuprema Dei.

Cur non liceat arcanum Dei loqui?

ALIUD DISTICHON.

NVminis arcanum cur impenetrabile nobis?
Nè tumefactus homo ſe putet eſſe Deum.

Excuſatur aliquis acerbiſſimâ percitus triſtitiâ, quòd ſtatim in Deum confidentiæ ſe non committat.

DISTICHON.

PArcite, nì promptus fidat: fiducia mœſtis
Nulla viris: nimis eſt lapſus ad oſſa dolor.
Ex Valerio Flacco l. 3.

De Ligno,
in quo IESUS Chriſtus crucifixus eſt.

DISTICHON.

O Durum lignum! fallor, niſi dixero ſuaue,
Diuini quando geſtat Amoris onus.

BALTHASARI CINCIO,
S. R. E. Presbytero Cardinali,
tituli Sancti Petri in Monte Aureo,
Archiepiſcopo, & Principi Firmano,
celſiſſimo
ſacræ, & profanæ eruditionis
Decori.

Problema Faticoſorum Academiæ
Pridiè Idus Ianuarij, Anno MDCC.

Vtrùm
Ad bonum præmia magis excitent, vel pœnæ?

EPIGRAMMA.

Præmia plùs moueant, an pœnæ, quæritur? & quid
Noſtra Faticoſis tradere Muſa poteſt?
Pergit vtriſq; operans: probus illis: improbus iſtis:
Optimus hinc vti ſueuit vtrisque Deus.
Sed quid Muſa docet? regitur Respublica vtrisque;
Promptiùs at pœnis præmia corda regunt.
Præmia amore trahunt: pœnæ terrore: quis vnquã
Poſſe timore magis, quàm trahi amore putet?
Fortè triumphales aliquis contendit amori
Palmas; & vilis iura timoris amat?
Præmia mel referunt: fel pœnæ: potio dulcis
Eſt mel: amara fel: hac ſic magis illa mouet.

Ad

Ad Patrem Fr. Ioſephum Mazzetti ,
ſuauiſſimum è Minoribus Obſeruant. Oratorem ,
Magiſtrum in ſcientijs æquè, ac in Concionibus,
Regiæ Celſitudinis Sabaudiæ Theologum, &c.
Academicum Faticoſum ,
LO SCHIETTO,
fauentem Problematis parti
Oratione ſuâ ornatiſſimâ :

*Quòd præmia , plusquàm pœnæ ; ingenuos
ad bonum exſtimulent .*

TETRASTICHON.

*COndijt Orator mirâ dulcedine Thema ,
Præmia cùm pœnis prætulit eloquio .
Si Problema tamen dulcedine inane fuiſſet ,
Doctus vt Orator , melleus eſſet adhùc .*

Quis propè mortem ,
vel perexiguos nummos colligens,
vbi magnarum priùs opum fuerat dilapidator .

DISTICHON.

Alluditur ad illud Celſi : qui mortiferi ſigna morbi
eſſe ſcribit :

*Si quis in febre , & acuto morbo ,
manibus in veſte floccos legat .*

*VIr diſperſit opes ; legit has annoſus , & æger ;
Si quærit floccos , mox moriturus erit .*

Ad D. Sigiſmundi Chalchi Regij Senatoris, Viri planè Virtute conſpicui, digniſſimum Filium D. Petrum Antonium, Iuris Conſultum ex Collegio, Vicarium Prætorium, & Sancti Officij Conſultorem Mediolani, &c. *Faticoſum Academicum*, L'IMPORTVNO.

DISTICHON.

NOn poteris maior Patre dici, Chalche; ſed eſto
Par: te vult Virtus ad minùs eſſe parem.

Quonam Deus contentus eſt, pro ſua in nos beneficentiâ ampliſſimâ?

DISTICHON.

PRo tot collatis mihi donis, quæ tibi grata,
Numen, reddentur munera? gratus amor.

De terreno amore.

DISTICHON.

EX oculis cæcum naſci cur fertis amorem,
Vates? quòd cæcos reddat an ille viros?

De quodam imperito Medico, ad eius defenſorem.

DISTICHON.

Eſt, inquis, bonus hic Medicus: cõcedo: quòd ægros
A cunctis ſoleat ſoluere, morte, malis.

In

In contradicentes Diuinæ voluntati.

DISTICHON.

IRrita nemo velit, quæ vult diuina voluntas;
Ipſe niſi, quæ vult, irrita dona velit.

Sponſus nullam exigens à parente ſponſæ dotem.

DISTICHON.

ESt dotata ſatis virgo morata; ideòque,
Hanc præter, dos non quæritur vlla patri.
Ex Plauto in Aulularia act. 1. ſc. 1.

SEU.

COntulit accepto Virtutes ſponſa marito:
Hinc dotem, has præter, non petit ille patri.

Iuſti Lipſij afflictiſſimi, & ad mortem ægrotantis Reſponſio ad amicos extollentes ſtoicam patientiam; de qua ipſe tàm benè ſcripſerat in libro, cui titulus: *Manuductio ad ſtoicam Philoſophiam*; Crucifixum enim Dominum oſtendens, ait: *Hæc eſt vera patientia.*

DISTICHON.

NE ſtoicam mihi laudetis: patientia vera
Eſt ea, monſtrauit quam Crucifixus Amor.

Patri D. Philippo Mariæ Trigonæ,
Clerico Regulari:
qui
multas è primis Italiæ Eccleſias,
noſtramque S. Antonij Mediolani,
Quadrageſimali verbi Dei prædicatione,
maximoperè illuſtrauit.

De ſorte præſenti, & futurâ.

DISTICHON.

Sors terræ placeat mundanis, non placet iſta
Nobis; qui cupimus viuere ſorte Poli.

SEU.

Sors humana quid eſt? ferè ſunt ſynonima, ſors, (mors:
In manibus niſi ſit ſors mea tota Dei.

Ad pluribus debitorem.

DISTICHON,

In quo aptè aſſumitur Quinti Maximi
Elogium.

Spondeo, quod, ſaltem cunctando, reſtitues rem;
Animys ſi te ſumptibus abſtineas.

In

Digitized by Google

In aliquem cibo, & vino ſe ingurgitantem:
ex Eccleſiaſtico cap. 37. monetur:

Propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.

DISTICHON.

*ADijcies, comedendo minùs, minùs atq; bibendo,
Vitam; nam vitam crapula morte rapit.*

SEU.

*CRapula pernicies vitæ: tutela dieta eſt:
Prouenit à noſtra vitaue, morsue gulâ.*

DEO, ante omnia, vacandum ſuadetur.

DISTICHON.

*MEns prior eſt ſtudijs; ſtudijs, & mente, ſupre-(mus
Rector: Huic cur mens non priùs ergo vacat?*

Ad Amicum,
dolentem de malo quodam Rege,
Reſpondetur cum S. Iſidori lib. 3. ſentent. cap. 48.
auctoritate:

Reges, quando boni ſunt, muneris eſt Dei; quando verò mali, ſceleris eſt populi.

DISTICHON.

*REx bonus, eſt populo diuini munus amoris;
Rex malus, eſt populi noxa, flagrumque Dei.*

Docu-

Documentum è cap. 16. n. 27. libri Sapientiæ: Vt in matutinis Orationibus inſiſtamus.

Ab exiguo, ſic legitur, *radio Solis* manna *calefactum tabeſcebat; vt notum omnibus eſſet: quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, &c.*

Ad Patrem D. Ioſephum Mariam Aliferum,
Clericum Regularem,
S. Abundij Collegij Cremonæ Præpoſitum,
iampridèm mihi in Religionis Tyrocinio
Nouitium,
nunc in Virtutibus Magiſtrum.

DISTICHON.

MAnna Hebræorum tabeſcens Solis ad ortum,
Me docet, vt Dominum deprecer ante diem.

SEU.

MAnna figura precum eſt: Aurora erat hora legendi
Manna: legendi Horas hæcque ſit hora tibi.

Amico augurium.

DISTICHON.

SIc cupio, Domini faciat te gratia tutum;
Vt Fortuna tibi nulla nocere queat.
Ex Ouidio.

Eidem

Eidem adprecatio.

NE valeat peruerſa tibi Fortuna nocere;
Sit tibi propitium Numen, amice, precor.

Quarè terreſtris Paradiſi arbor, *Geneſis* 2. vocata fuerit *lignum ſcientiæ boni, & mali?*

DISTICHON.

Dicitur iſta bonum, atq; malũ cur planta ſciendi?
Vtrumque hinc didicit noſter vterque Parens.

In quendam, à quo mortis memoria receſſerat.

DISTICHON.

IMmemor eſſe potes mortis? quod cernis an omne?
Vel tua con clamat Vita? Memento mori.

Sancta Tais ſtatim à conuerſione, omnia ſua ornamenta in ignem proijcit.

DISTICHON.

POenitet: ac primùm, muliebris Mundus in igne
Vult flagret: vnde faces, ſe peperiſſe videt.

DE EODEM ALIUD.

HActenùs à facibus combuſta eſt Tais amoris:
Taidis à facibus nunc amor vſtus erit.

In aliorum Fide, Orationibus, boniſque operibus omninò confidenti.

DISTICHON.

Ad mentem S. Io: Chryſoſtomi hom. 20. in 2. Io: vbi:
In nullo nanque alio, niſi in ſolis ſui ipſius Virtutibus, poſt diuinam gratiam, de ſalute cuipiam ſperandum eſt.

GRatia ſola Dei tibi proderit, & tua Virtus:
Hæc duo ſi deſint, nil aliena iuuant.

Vndè boni, vt plurimùm, ſint paupéres?

DISTICHON.

DIc mihi cur plerumque bonis contingat egeſtas?
Conueniant ſolâ cur bona voce bonis?

De eodem argumento, aliud.

CVr mage pauperies reperitur in æde bonorum?
Hanc propriâ pellunt ſemper ab æde mali.

Ad N. N. optimum Virum Catholicum.

DISTICHON.

MEnte, opere, ac linguâ te credimus eſſe fidelem:
Nè fidei noſtræ proditor eſſe velis.

Ad

Ad Problema Faticoſorum Academiæ, Quartodecimo Calendas Martij, Anno MDCC.

An iuuentuti magis noceat ludus, an concinnitas immoderata?

ELEGIA.

EXcedens ludus, nimiùm concinna venuſtas,
Peſtiferæ ſexûs ſunt vtriusque feræ;
Sæuiat at quænam ex geminis peiore veneno?
Problema ambiguum eſt: ſoluere Muſa nequit.
Quid non conſumit ludendo incauta iuuentus?
Perditur ictu oculi magnus aceruus opum.
Æquantur ludo noctes: pretiosaquè vitæ
Tempora, ludendo, non reditura labant.
Quis non obſtupeat, feruens vbi luſor in iras,
Diuitias perdit, perdit amicitias?
Perderet aſt hominum ſolas; ſed ſæpè Tonantis
Perdit; & illius gratia ſancta volat.
Sicque iuuentutem ludentem deſerit vnà
Res, & amicus homo, pax, locuplesq; Deus.
Multa vnus planè fert ludus damna iuuentæ;
Immò tot, vt multi nec numerare queant.
Damna iuuentutis ſed quid ſolummodò vobis
E nimio ludo noſtra Camæna tulit?
Detrimenta venuſtatis, comptæque iuuentæ
Vos Elegi, fletu, carmina plena, date.
Temporis & lubricas quantum ſpargatur in auras
Iactibus immodicis, Muſa animoſa canat.
Quàm ſit inanis amor, quem non conſulta iuuentus
Nutrit in alterius corde, fouetque ſuo!
Quanta ſit æterni iactura! impendere vires
Mentis in his ſtudijs, ridiculisque iocis!

Viuax

Viuax ingenium, ignauos torpeſcit in actus
Moribus ingenuis, indecoreſque ſibi.
Turpius in vitium deflectit turba procorum,
Quando venuſtatem Cypridis arte colit.
Mille pericla ſibi parat hic, parit omnibus illic:
Narciſſi ſpeciem, ſeu Ganymedis habens;
Fœmineumque Genus ſimulans: in crine retorto eſt,
In geſtu, in verbis, in leuitate Venus.
Ecce iuuentutis quò tendit culta Venuſtás!
Nomine vel ſciſſo, fit temerata Venus.
Quodque magis doleo: de frigidâ ineptiâ oborta,
Vritur ipſa: alijs inijcit ipſa faces.
Sic miſerū! pereunt animæ: perit alma iuuentus,
Inque venuſtatis flore Acheronta petit.
Partibus auditis, decidat quisque: Venuſtas,
An ludus iuueni damna minora ferat?

Ad Dominum fandi doctiſſimum,
D. Ioannem Chriſtophorum Malaſpinam
è ſacri Rom. Imperij Marchionibus
de Mulatio, &c.
Academicum Faticoſum,
IL MODESTO:
Qui in Faticoſorum Academia,
Neſtoreâ facundiâ,
prædictum illuſtrauit Problema.

EPIGRAMMA.

Plena venuſtatis tua, Marchio, Dictio fulſit:
Nil immaturum, nil iuuenile fuit.
Nempè tuâ ſplendens Sapientia mente ſenilis,
Innocuis ſemper te nituiſſe doces.
Sic nimium fugiens ornatum corporis; omnique
Ornans luce animum, Neſtor vt alter ades.

Ad

Ad ipſummet D. Marchionem Oratorem.

DISTICHON.

INgenuis non es nobis mala ſpina vocandus;
Effundens labris ſed bona ſpina roſas.

Ad eundem D. aliud.

ES roſa, nam gratum Virtutum mittis odorem:
Es roſa, nam florens mille venuſta modis.

Aliud ad eundem D.

DOctrinæ flos es: flos es facundiæ Hyblææ:
Ingenij flos es Regius: ergo roſa.

Ad eundem D. aliud.

Alluditur ad Caput eius Cognominis:

Quòd Theodebertus enim Inſubriæ Prouinciæ Tyrannum
transfixerit Accinus,
è Martio antiquiſſimo Romanorum ſtipite,
MALASPINA
appellatus eſt.

QVæ Malaſpina fuit conſperſa cruore Tyranni:
Palladis, ò mirum! lumine ſparſa Roſa eſt.

Mar-

Marmoreum Beatiſs. Virginis Mariæ ſimulacrum
Ioanni Duns Scoto,
è ſacro Minorum Ordine Sancti Franciſci
Doctori ſubtili,
immaculatam illius Conceptionem defenſuro,
in auxilij ſignum, caput inclinat.

DISTICHON.

AMbigis illæſum Conceptæ Virginis inſtans?
Marmora duritiem depoſuiſſe vide.

DE EODEM ALIUD.

OMnis homo tener affectu ſine labe Mariam
Credat, vbi Scoto dat lapis ipſe fidem.

In admirantem aliquas vnius ethnici
in vitijs tenebras.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
caligat in Sole.

NOn ſtupeo, in proprijs cæcutiat ethnicus vmbris:
Cæcutire vbi Sol ſplendet, ibi ſtupor eſt.

ALIUD DE EODEM.

EThnicus haud miror, reliquis caliget in vmbris:
Caliget, *miror, Sole in amante, Deo.*

De

De vindicta.

DISTICHON.

FLam̃æ nomen habet meritò vindicta: quòd hoſtis
Extingui ſolo ſanguinis imbre ſolet.

DE EODEM ALIUD.

QVi cupit humano ſatiari ſanguine; ſueſcat
Haurire ex venis pocula larga ſuis.

Ad rectum Principis iudicium
partium auditio omninò neceſſaria.

DISTICHON.

PRincipis indignus titulo, dignusque Tyranni,
Quisquis inauditum iudicat eſſe reum.

Patri Hermeti Stampæ
è ſacra Societate IESU,
Faticoſo Academico,
L'INQVIETO,
mente æquè promptâ, & cultâ,
tàm ad Italicos, quàm ad Latinos verſus
exponendos.

Redemptoris noſtri mortis compendium.

DISTICHON.

PRoditor eſt Iudas, Iudex Pilatus, Hebræus
Tortor, Crux tortum, tortus amore Deus.

Ad Sanctum Petrum Rauennæ Archiepiſcopum *Chryſologum* appellatum, de pretioſiſſimis illius Sermonibus, & Vita.

DISTICHON.

NOmina ſi ſpectes, Petrus appellatur Hic, aurũ;
Si vitam ſpectes, aurifodina Dei eſt.

DE EODEM ALIUD.

AVreus es, Nomen ſi ſpecto; gemmeus, & rem:
Re pretioſior es, quàm tibi Nomen ineſt.

D. Ioannes Baptiſta Buttintroccus, *Academicus Faticoſus*, L' INGEGNOSO. doctus omninò, & nobilis Faticoſorum Academiæ Poeta, communi Prouerbio commendatur.

DISTICHON.

ADdidit *hic verè noſtro* quàm plurima Cælo
Aſtra *ſuis radijs, carminibusque ſuis.*

De ira.

DISTICHON.

SEmper mortales acri offenduntur ab ira:
Irato, ſi non hoſtibus, ira nocet.

Ad

Digitized by Google

Ad illuſtrem pictorem rogatum ab Auctore; vt S. Imperatricis Helenæ imaginem duceret.

TETRASTICHON.

Effingenda meæ Crucis eſt Regina repertrix,
Non quæ Vrbis fato nata, ſed Orbis honos.
Hanc benè ſi pingas Helenam, clariſſime pictor;
Sis certus, quod eris maior Apelle mihi.

In negligentem.

DISTICHON.

Negligis omne bonum; ſed, quàm malè: nam ſibi (quiſq;
Negligit omne bonum, diligit omne malum.

DE EODEM ALIUD.

Te Deus, ò piger, vt viuens operere, creauit:
Deſidiam ergo tuam, perfidiam eſſe reor.

In hominem deceptorem.

DISTICHON.

Decipere humanum genus, eſt ſerpentis Auerni
Inuentum: teſtis prima ſit Eua parens.

DE EODEM ALIUD.

Exteriora homines, non Numen fallere poſſunt:
Intùs, & exteriùs ſingula quippè videt.

Ad Patrem D. Io: Chryſoſtomum Philippinum
Clericum Regularem,
Sancti Officij Veronæ Conſultorem,
Virum
de Religione Theatina, de literatis,
de ſuo proximo,
ob eius Virtutem, doctrinam, charitatem,
optimè meritum.

De Principe, & ſpeculo.

DISTICHON.

INſtar adeſt ſpeculi Princeps; ſed quomodò? quiuis
Egregium nævus lumen vtrique rapit.

ALIUD DE EODEM.

Eſt populi ſpeculum Princeps; cùm reſpicit illud,
Si referat maculas, temnitur, & teritur.

Affirmanti, Fortunam in terris
vnicè neceſſariam.
DISTICHON
Ad vetus adagium:
Virtute Duce, comite Fortunâ.

NEc ſit ſola tibi ſors, nec prudentia ſola:
Hîc, vtrâque, ſcias, indiget omnis homo.

Quo pacto inani gloriâ elatus cadat?

DISTICHON.

VT globus Æthereas aſcendit inanis in auras:
Ludente ad terras pulſus ab Axe redit.

An

An melior ſit cæci, an muti hominis fortuna?

Problema Faticoſorum Academiæ
Poſtridiè Calendas Aprilis,
Anno MDCC.

ELEGIA.

D. Ioanni Stephano Mirabilia
Iuris Conſulto Collegiato Mediolani,
in publicis Palatinis Lyceis Legum Magiſtro:
Viro, quà mentis, quà animi floribus,
quà apud Palladem meritis,
ornatiſſimo,
Faticoſo Academico,
IL FEDELE.

De noſtro quid Muſa canis Problemate? cæcum,
An mutum præfers, cùm ſit vterque miſer?
Infelix non poſſe loqui: non poſſe videre
Infelix res eſt! hæcne, vel illa minùs?
Fallor: an infelix cæcus, vel mutus? vtrumque
Felici ſanè viuere ſorte reor.
Corporis in latebris cæcus mage mente refulget:
Sæpiùs & muto ſe tacuiſſe placet.
Nec linguâ mutus, nec viſu læditur orbus
Lucibus; eſt multo liber vterque malo.
Tantalus inter aquas ſitit, atque fugacia captat
Poma: quòd ille videns, & fuit ille loquens.
Sed quid proſequimur nugas? bona vera bibamus
Fontibus è proprijs, Hiſtoryſque ſacris.
Nouit Adam, nouit Dauid, ſibi lumina frontis
Quid nocuere, ſuas corde gemente cruces.

Tobiæ ſecùs, & Paulo ſucceſſit; vtriſque
Tutior, vt cæcis, luxit ad aſtra via.
Et Petrus, & Sampſon pœnas ſoluère loquendi;
Quas non ſoluiſſent, ore carente ſonis.
Multiloqui patrant non rarò crimina: muto,
Piſcibus vt tacitis, cor viget innocuum.
Vnam pro cunctis animo reputate Mariam:
Hæc, liquet, in terris immaculata fuit.
Vt matrem Domini, puram ſeruauit Olympus;
At, niſi talis erat, pura tacendo foret.
Muta quaſi vixit: fermè nihil ipſa locuta eſt:
Mutorum flagrans diuite pace frui.
Quàm benè pro quacunque tulit pia parte Camæna!
Non tamen allatis noſtra Lycea ſilent.
Omnia propoſitum cupiunt Problema ſolutum;
Stet cæco, an muto conditio melior?
Eia Faticoſi: pro cæco ſtate, quòd iſte
Integer in reliquis ſenſibus eſſe ſolet.
Mutus at, aure ſimul captus ſolet eſſe; duobus
Impatiens vnà ſenſibus indè caret.
Cæca Fides meliùs ſplendet: perfectius obedit,
Vt cæcus, felix obſequiturque Polo.
Numinis immò gerente vices vbi præſide pergit
Cæcus, ei fauſtum panditur Axis iter;
Atque Viatores cæcos pro Rege ſupremo
Magna manet merces, Viſio clara Dei.

Ad Faticoſum Academicum,
IL NEGLETTO:
Patrem D. Gaſparem Berettam
è ſacro Caſſinenſi Diui Benedicti Ordine
Lectorem,
de prædicto Problemate
Oratorem exculcum.

EPIGRAMMA.

Peſſima, confiteor, mea nunc fortuna fuiſſet,
Hac mutum, aut cæcum me retinendo die.
Te non vidiſſem dicentem, Gaſpar; & ad te
Dicere nil poſſet lingua reuincta mea.
Hinc ſortem cognoſco malã: quòd vtramq; probaſsẽ
In mea dicta, nihil prouidus ipſe mihi.
Me latuiſſet adhùc, quod ſis in fando Magiſter:
Palladis & deſit gratia nulla Tibi;
Nec mea, vt optaſſem, tibi ſoluere munera poſſem
Plauſibus; vt par eſt, ſim licèt imparilis.

De vera ſapientia.

DISTICHON.

Scire Deum, ſumma eſt terræ, & ſapientia Cæli:
Vt neſcire Deum, eſt, cætera ſcire, nihil.

Ad Comitem D. Io: Baptiſtam Modegnanum
ampliſſimum Mediolani Senatorem,
diſertiſſimum Latinum Oratorem
in Regali funebri pompa
Carolo II. Hiſpaniarum Monarchæ
in Metropolitano Iuſubrico Templo
excitatâ.

TETRASTICHON.

TAnta tuo, fateor, facundia fluxit ab ore;
Creditus vt fueris vim Ciceronis habens.
Plauſibus atque meos communibus addere lætor:
Me potuiſſe nouo Te Cicerone frui.

Seu Diſtichon ad eundem D.

TAnta tuis labris facundia fluxit; vt alter
Dicaris Patriæ Tullius Inſubriæ.

S. Ediltrudes Britanniæ Regina,
mortua loquitur;
cunctaque, non ſibi, ſed ad Dei gloriam
dicenda, & facienda ſuadet.

DISTICHON.

NOn ſibi, ſed Chriſto referendos inquit honores
Virgo; quæ ſummum noſcit in Axe Deum.

Di-

Dictum
Riccardi à S. Laurentio l. 2. de laud. Virg.

Seruire Dei-Genitrici debes, dum viuis;
poſt mortem viuere ſi vis.

DISTICHON.

VIuere poſt mortem ſi vis, tu viue Mariæ:
Hac ſine, vel viuas, vel moriare, cades.

Ad D. Antonium Petramſanctam,
ex Feudatarijs Burgi Canturij,
Iuris vtriusque Doctorem Mediol. Collegiatum:
Virum vnà ingenioſum, & eruditum,
qui frequentiſſimè
noſtræ Faticoſorum Academiæ
præſentem ſe exhibet.

Quantam diuitiæ priuationem quietis afferant?

Stobæus ſer. 77. narrat, Anacreontem Poetam Lyricum, aureo talento donatum à Policrate Regulo, ob Poeſim ſuam eidem oblatam; cùm quieſcere Vates non poſſet, pecuniam retinens, talentum Policrati reſtituit, dicens: *Odi munus, quod vigilare cogit.*

TETRASTICHON.

MVnera reddo tibi noſtræ tormenta ſalutis:
Inuiſum eſt munus, quod vigilare facit.
Sint nummus, munusque *pares quaſi lege notarũ;*
Plùs reſonat munus: funus in aure ſonat.

San-

S. Regij Prophetæ in pſal. 115. n. 11. dictum:
Omnis homo mendax.

DISTICHON.

OMnis homo mendax? quarè, cùm ſis homo, non es
Hîc homo tu mendax? Non loquor hîc vt homo.

Ad verba S. Auguſtini ſerm. 21. de verbis Dñi. c. 3.
Reſpice omnia mala: de ſingulis dici poteſt: fortè erit, fortè non erit: ſola mors non habet fortè. Nunquid eſt aliquis homo, de quo dici poſſit: fortè moritur, fortè non moritur? Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem? Pſ. 88.

DISTICHON.

FOrſan, homo, patiere; malis fortaſſe carebis:
Mors tamen, in terris vnica, fortè *caret.*

Ad locupletem patrimonium dilapidantem.

DISTICHON.

Alluditur ad id, quod Tiberius Imperator Atilio Buta Romano Equiti, poſt conſumpta bona ſua, ſe agnoſcenti dixit, vt habet Seneca epiſt. 122.
Serò experrectus, Atili, es.

SErò, Cæſar ait, miſer experrectus, Atili, es:
Hoc te præueniunt tympana, amice, ſono.

ALIUD DE EODEM.

SEriò, non ſerò expergiſcere, Atilius alter:
Nè fias Domini, ridiculumque tui.

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini ſententia, de ſenectute:

Quam omnes optant, antequàm veniat; & de illa, cùm venerit, murmurant.

DISTICHON.

TE volo: te nolo: expecto: recuſo, ſenectus:
Te precor, vt venias; te veniente, gemo.

Aliud de eodem argumento.

Alluditur ad illud Terentij in Phorm.
Senectus ipſa eſt morbus.

ANte ſenectutem, cupit hanc homo: nanq; decora eſt;
Quòd ſit & hæc morbus, cùm venit ipſa, dolet.

Pictor ad pictorem, quòd veritatem ei occultat.
Ex Plinio l. 35. c. 10.

DISTICHON.

ZEuſis Parrhaſio: picturam oſtende, remoto
Velo: ego dico tibi: detege vera mihi.

Ad

Digitized by Google

Ad dictum
Riccardi à S. Laurentio l. 2. part. 1.
de laud. V. B. M.

Mariæ poteſt ſecurè dicere ſeruus eius illud Iob. 17. Pone me iuxta te; & cuiusuis manus pugnet contra me.

DISTICHON.

ME, pia, pone, precor, te pone, Maria: micetque
In me cuiusuis dextera; victor ero.

SEU.

SIs mihi præſidium, Virgo; quæ bella timebo?
Si, duce Te, palmas ſemper ab hoſte feram.

In quendam mediocris fortunæ,
magnum ſe putantem.
Alluditur ad id ep. 91. Senecæ de Alexandro M.

Quis enim eſſe magnus in puſillo poteſt?

DISTICHON.

NEc dici debet Rex magnus in Orbe puſillo:
Te in modicâ magnum reque puſillus habes?

DE EODEM ALIUD.

MOx deſcenſurus, vapor infime, ſurgis in altum:
Magnus in exiguo, ſtulte, quis eſſe poteſt?

Mors

Mors ad vnumquemque mortalem.

DISTICHON.

Allud. ad S. Ambroſij verba ſer. 29. de verbis Dñi: vbi introducit mortem cuilibet tanquàm hoſpiti loquentem ſic :
Eia refectus es : tranſi : age iter :
da venturo locum .

EIa refectus es, hoſpes homo : tranſire neceſſe eſt :
Venturoq; locum des : age , oportet , iter .

DE EODEM ALIUD.

FEſſus ob ingluuiem , pleno iam ventre tumeſcis :
Cede locum reliquis, quisquis es, hoſpes abi .

Vir doctus in examine impar.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium :
Nemo omnibus horis ſapit .

EXcuſate Virum : nemo ſapit omnibus horis :
Hæc hora infelix , qua nihil ille ſapit .

ALIUD DE EODEM.

ESt excuſandus, benè non reſponderit : horis
Omnibus, *excepto Numine* ; nemo ſapit.

Super

Super Problema Faticoſorum Academiæ, Quarto Calendas Maij, Anno MDCC. reſolutum:

An Dignitati, an merito plauſus conueniat maior?

EPIGRAMMA.

Ad D. Franciſcum Caffarellum, ſacræ in alma Vrbe Conſultæ de bono Regimine à ſecretis, Romanæ Rotæ Auditorem: Prælatum, venuſtiorum Virtutum floribus, vel ſenili in ætate, vernantem.

QVid magis exornas plauſu, meritũ, vel honorem,
Muſa? quid ex iſtis dignius eſſe putas?
Expedit hæc paucis Reſponſum: vt clarius vmbrâ
Eſt lumen, meritum ſic mage honòre nitet.
Languet honor: languent alacres in honoris honorẽ
Laudes, ſi quis eis gaudeat immeritus.
Accidit ille Viris: meritum eſt ſubſtantia ijsdém:
Indè ſubeſſe poteſt, hac pereunte, nihil.

Ad

Ad
Faticoſorum Academiæ Principem X.
recèns creatum,
Marchionem D. Franciſcum Mariam Caſnedum,
ex Faticoſis Academicis
L'AVVERTITO,
militarium munimentorum in Mediol. Prouincia
Generalem Præfectum,
è ſecreto Catholicæ Maieſtatis Conſilio, &c.
nec non
Ad
Vailati Comitem D. Balthaſarem de Roſales
è ſecreto itèm eiuſdem Maieſtatis Conſilio, &c.
ipſiusmet Academiæ
immediatè ex-Principem;
Inter Faticoſos verò Academicos
IL DISIOSO.

EPIGRAMMA.

AN Decus, an meritũ primos mereatur honores?
Ambiguâ noli quærere, Muſa, cheli.
Quod Princeps olim ſoluit Problema Roſales,
Caſnedus Princeps ſoluit & ipſe nouus.
Ambo Faticoſi Regni meruere Coronam:
Virtutis feſtos ambo videre dies.
Præcipuos inter plauſus, victricis ad Oſtrum
Palladis elatus dignus vterque fuit.
Grande deeſt tanto Decori nil: Principi vtrique
Noſtraque, multiplici laude trophæa ſonant.
Nec plauſus, nec honor celeberrimus vnus, & alter;
Principis at meritum nos vtriusque rapit.

Ad

Ad prænominatum Marchionem
D. Franciſcum Mariam Caſnedum,
Faticoſorum Academiæ Principem, &c.
cuius Inſigne Gentilicium
Aquila, & Laurus exornant.

EPIGRAMMA.

Dum Iouis armigerũ iactas in ſtemmate: ſceptris
Te referam natum, nataque ſceptra Tibi.
Nec fallor: faſces offert tibi Muſa virentes:
Teque manet Laurus, Palladis ante thronum.
Eia age: præcelſis, ſapiens, dominaberis aſtris;
Accipientque tuis auſibus aſtra decus.
Quin Tu Virtutum clarum ſapientibus aſtrum
Augebis, lumen ſæpè vibrando tuum.
Si tua nunc tantam ſpargit ſpaientia lucem;
Creſcet in immenſum lucis adulta ſeges.

Ad

Digitized by Google

Ad eundem Academiæ nouum Principem.

Alluditur ad illius Phrenoſchema

Aquilam, Leonem, & Laurum complectens.

EPIGRAMMA.

CVr Leo? cur Laurus? cur ſtẽmate ſtat Iouis Ales?
Sunt, Franciſce, tuæ ſtirpis honoris opes.
Magnanimos, doctos, Ioue dignos iſta Penates
Oſtendunt bellè ſigna fuiſſe tuos.
Adde illis Haſtam, noſtræ ſcutumq; Mineruæ;
Addent, vt merito reddita, dulce decus.

Ad ipſummet Faticoſorum Academiæ Principem.

DISTICHON.

LAuri indiuiduæ Caſnedus nos tegat vmbrâ;
Illuſtrat radijs illicò Apollo ſuis.

De Caſtri Leonis Marchione
D. Franciſco Matthæo de Roſales,
Faticoſo Academico,
L'INFERVORATO,
Ordinis Sancti Iacobi Equite,
Germanicæ Legionis in Mediolanenſi Exercitu
Chiliarcho, &c.
Faticoſorum Academiæ in vices Principis gerentem electo.

TETRASTICHON.

Eſt Roſa telluris, vel Cæli Stella Roſales?
Splendet Sella ſoli: floret in Axe Roſa.
Fulgenti floret ſapientiâ in Axe Mineruæ;
Florenti ſplendens eſt pietate ſolo.

Ad eundem Dominum Marchionem, &c.
Proprincipem Academiæ.

DISTICHON.

Deberi nullus renuat tibi ſerta roſarum;
Albas ſi tribuit Flora vel ipſa Roſas.

Ad Patrem D. Ioſephum Mariam Stampam,
Academicum Faticoſum,
IL DIVISO,
è ſacra Somaſchæ Congregatione,
ſapientiſſimum de prædicto Problemate
Oratorem;
qui & vnà egregiè valuit
recèns aſſumpti Principis gloriam
cultiſſimis proſequi præconijs.

EPIGRAMMA.

PLaudimus eloquio, doctrinæ, alijsue Mineruæ
Diuinæ radijs, queis pretioſus ades.
Suaſiſti nobis meritum præcellere honori:
Indè tuis noſter plaudit Apollo ſonis.
Impoſitumque tibi pangens Ciceronis honorem:
Dicendi meritum tollis ad aſtra tuum.

De maximo
IN SANCTISSIMA EUCHARISTIA
amore DEI erga nos.

DISTICHON.

AH! tuus eſt amor hic nimius, Deus: indè quis (audax
Dicet, vel de Te: deſipit omnis amans.

Ad illud S. Matris Eccleſiæ in Litanijs B. V. M.

Virgo fidelis.

DISTICHON.

F*Ida viatorum Cynoſura, per æquora Mundi,*
Fido tibi vitæ, Virgo fidelis, *iter.*

DE EODEM ALIUD.

VIrgo fidelis *es vna Deo, & cuicunque fideli:*
Sim tibi; tuque mihi Virgo fidelis *eris.*

Fortunam maledictis laceſſenti.

DISTICHON.

IN *caſſum tua Fortunam lamenta laceſſunt:*
Auribus, ac oculis, & ratione caret.

S. Eliſabeth Andreæ Hungariæ Regis filia, & Haſſiæ, ac Thuringiæ Lantgrauij coniux, tot à Deo gratias iniuriantibus exorare, quot eidem iniuriæ inferebantur, conſueuit.

DISTICHON.

C*Ompenſare probrum donis, & honoribus hoſtes,*
Eliſabeth virtus prodigioſa fuit.

DE EODEM ALIUD.

Q*Vot ſunt offenſæ, offenſoribus illa precatur*
Tot Cæli grates: Numinis ô quis amor!

De

Digitized by Google

De gula ad amicum.

DISTICHON.

INdulgere gulæ noli: quia ventris amica eſt;
Ventri autem nullus ſat ſolet eſſe cibus.

DE EODEM ALIUD.

INdulgere gulæ caue, amice; memento, quod illa
Totius Mundi ſola ruina fuit.

Vir Nobilis in ignobilibus ſuæ domûs exercitijs.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Non maculat manus, qui ſua facta facit.

ILluſtres tractare manus hæc vilia turpe eſt?
Illas non maculat, qui ſua facta facit.

DE EODEM ALIUD.

SVbula, acus, forfex, non eſt ignobile aratrum,
Soli ſi teſtes ſint tibi in arte lares.

In quandam pulchram virginem, vtpotè nimiùm vagantem, defloratam.

DISTICHON.

SI formoſa minùs, minùs & tu nota fuiſſes;
Pura magis, Domino grataque virgo fores.

Digitized by

D. Franciſco Caſtello,
Parabiaghi Marchioni, &c.
Regio Aduocato Fiſcali Generali:
ingenioſiſſimo Equiti,
& pulchrioribus eruditionis ſacræ, & ſæcularis
floribus,
vt Iuris Cæſarei, ac Canonici ornamentis exculto:
qui, dulciſſimâ ſuâ præſentiâ,
ſæpiſſimè noſtram Faticoſorum Academiam
exhilarat:

Interroganti de Faticoſorum Academiæ auſu,
In Pyramide, Academiæ Symbolo, erigendâ?

DISTICHON.

QVò velit ire, rogas, Academica Pyramis? illò,
Regnat vbi noſtri Pallas amica Chori.

Diuinus amor ab Auctore in ſingulis
exoptatus.

DISTICHON.

ITe mei ſenſus: ito mens: ito voluntas:
Si per vos ſemper non ego Numen amem.

Cur D. CAIETANO Cler. Reg. Patriarchæ
mirificus honor poſt mortem, etiam in terris,
delatus?

DISTICHON.

OBtulit in terris omnes Virtutis honores
Ille Deo: hos illi reddit ab Axe Deus.

In-

Digitized by Google

Innuitur alicui patientia.

DISTICHON.

*Q*Væ mala te feriunt, fortis patiaris; oportet,
Si cupis in vera viuere pace, pati.

Ad optimæ Indolis puerum
D. Carolum de Boſellis,
literarum ſtudijs admodùm deditum,
& amatum
admodùm ex ſorore mea nepotem.

De ſurdo, & cæco luſus.

DISTICHON.

*D*Et cæcus ſurdo aures; ſurdus lumina cæco:
Protinùs ille audit: protinùs iſte videt.

In Mundi ſectatorem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Matthæi 6.
Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

*Q*Vi Mundo, & IESV, domino famulatur vtriq;:
Illi nec tenuis merx ab vtroque venit.

In promiſſa de libro aliquo non implentem.

DISTICHON.

*S*Emper ais; mittam librum: volo mittere; *dicas,*
Vel miſi; *vel eum mittere nolo tibi.*

Ad Faticoſorum Academiæ Problema
Octauo Calendas Iunias,
Anno MDCC.
Vtrùm:
Homo ad literas, vel diuitias magis à Natura inclinetur?

E L E G I A.

Comiti D. Ioanni,
Borromææ, & Odeſchalchææ
Virtutis, & ſtirpis hæredi:
literarum venuſtiorum
venuſtiſſimo Flori;
Qui noſtræ Faticoſorum Academiæ Ver,
ſuâ præſentiâ, multotiès auxit.

AD ſolum Natura bonum propendeat ex ſe;
Quis neget, hoc eius lumine quando patet?
Quid ſunt diuitiæ? Chilone docente, malorum
Sunt theſaurus, *olens fraudibus, atque dolis.*
Hinc Iuuenalis eas, humanæ mentis, *acutâ*
Voce, vocat vitium: *quod bonitate caret.* 1
Aurem quin placeat Senecæ præſtare Magiſtro:
Diuitias ſapiens non amat, *ipſe tulit.* 2
Non aliâ ratione, niſi, quod amabile in illis
Nil ſit, vbi mala ſunt omnia, nilque boni.
Si nihil ergo boni; mala ſi tot contegit aurum;
Hoc, ex Naturæ vi, nec amabit homo.
Fallor, amat: volucer fertur mortalis in illud,
Naturæ culpâ; pro bono, amatque malum:
Si

1 *Satyr.* 14.
2 *Sen. ep.* 15.

Si temerata tamen non ſit Natura: Mineruæ
Agnoſcatque bonum, ſedula ſpernit opes.
Mundi ſpernit opes inamœni; hortiſque mouetur,
Quos ſapiente colit Pallas amœna ſinu.
Vndè fit, vt noſtri Natura trahatur; & alas
Explicet; ac ſemper diſcere plùs aueat.
Quo liquet, humanũ cor Hyblæ mage quærere flores,
Quàm locupletis opes; ſugat vt inde bonum.
Inuenit & ſanè, quod vir non erret in iſtis:
Nam bibit hinc Verum *cum* Bonitate *fluens.*

Academico Faticoſo,
L' AVVEDVTO,
Comiti D. Antonio Franciſco à Petra,
in literarum fauorem,
integerrimâ Oratione, Academicum Problema
decidenti.

EPIGRAMMA.

PRopoſitum tibi debuerat contingere thema;
Vt firmum fieret robore, Petra, tuo.
Et verè ſolidâ totum ratione ſtruendo,
Ornaſti nitido, Romuleoque ſtylo.
Conſurgat felix tua Pyramis; & Tibi ſortis
Aduerſæ ludat Pallas amica vices.

Ad eundem nobilem Oratorem, & Poetam.

DISTICHON.

TRaxerit antè petras homo voce refertur amœnâ;
Veriùs aſt homines, Petra canora, trahis.

San-

Sancta Maria Magdalena de Pazzijs,
Virgo è ſacro Patrum Carmelitarum Ordine,
funeri in Eccleſia expoſita,
faciem ab impuri hominis aſpectu ſubtrahit.

HEXASTICHON.

Ad Patris Magiſtri Fr. Alexandri Brianti
ex eodem Carmelitarum Ordine,
Faticoſi Academici, amici dulciſſimi genium.

IN Templo, cùm Virgo iacet defuncta feretro,
Ecce vir, è cuius fugerat ore pudor.
Protinùs auertit vultum caſtiſſima Virgo;
In ſe nec patitur lumina fæda proci.
Quàm benè mortales docet, etſi extincta, pudicos!
Praua per obtutum corda vibrare luem.

Quænam ſit ſua ſciendi cupiditas,
edicit Auctor.

DISTICHON.

OPto ſcire: nec vt me ſcire ſciant homines; ſed
Extet vt hiſce ſalus, & mihi, ſcire meum.

In verboſum hominem.

DISTICHON.

OMiſſis verbis, opus ipſum perfice, quæſo:
Hoc ſine, vana mihi nam tua verba ſonant.

Ad

Digitized by Google

Ad Diuinum Amantem.

DISTICHON.

Reſpicitur ad illud Iob. 10. 9.
Memento, quæſo, quod, ſicùt lutum, feceris me.

UT luteus factus, cur fio durior æſtu,
Sol diuine, tuo? crimine creta ſteti.

S. Stephanus in Protomartyrio contentus.

DISTICHON.

OBruitur ſaxis Stephanus, dum panditur Axis:
Compenſans lapides, pro lapidante rogat.

DE EODEM ALIUD.

SAxa ruunt hinc, indè: Polũ pete, Martyr, apertũ:
Vt quid? ait Stephanus: me Deus inde beat.

Super illud Regis Dauidis, Pſalmo 115. 11.
Omnis homo mendax:
Explicatum à S. Io: Chryſoſtomo comparatiuè
ad ſummam Dei Veritatem.

DISTICHON.

OMnis homo mendax: *ſi te conſidero Numen,*
Omni quod Vero verius eſſe ſcio.

Dei-

Digitized by Google

Deipara
ab Originali peccato ſemper puriſſima,
Eua noua appellata,
A SS. P.P. Athanaſio, Irenæo, Fulgentio,
& alijs.

Ad D. Sfortiam Marchionem Pallauicinum,
Equitem,
morum candidiorum nitore,
ingeniјque, & literarum venuſtate,
vt Immaculatæ Conceptionis B. V. M. cultu
eximium.

DISTICHON.

ALtera Adæ coniux: Eua altera Mater IESV:
Malum illam perdit; perdit at iſta malum.

De eodem argumento.

DISTICHON ALIUD.

O! Si noſtra Parens, Virgo, prior Eua fuiſſet;
Nulla Parentis Adam pœna luenda foret.

In ambitioſiùs de ſuo corporis robore gloriantem.

DISTICHON.

RObur, amice, tui, quo polles, corporis effers:
Polleres, mallem, dexteritate animi.

Da-

Digitized by Google

David puer, vt refertur 1. Regum 17. 33.
Gigantem Goliam atterit.

DISTICHON.

FAbula, proſtratos Iouis igne fuiſſe gigantes
Stratum vnum à puero nemo negare poteſt.

De peſſimo fine hominis laſciui vſque in finem.

DISTICHON.

IN culpis obijſſe ſuis miraris amicum?
Vix in morte ſcias pœnituiſſe parem.

Ad D. Alexandrum Guidi
illuſtrium quorundam Heroum Poetam.

DISTICHON.

OMnia mors ſoluat, tua nunquã carmina ſoluet:
Immortale Virûm nam decus illa canunt.

Recuſans Inſulam S. Bernardus,
tùm Epiſcopus Parmenſis, & S.R.E. Cardinalis,
ad eam trahitur per Cenſuras Eccleſiaſticas.

DISTICHON.

CIngere ſi frontem mitrâ, Bernarde, recuſas:
Fulmine ſupremæ percutiere mitræ.

DE EODEM ALIUD.

CEnſuris opus eſt, vt Epiſcopus ergo creetur?
Nouit, quod ſit onus ter graue talis honos.

In fraudolentum.

DISTICHON.

FRaude ſtudes alios intexere; fraude ſed illi
Reſpondere ſtudent; mos vt in Orbe viget.

Senecæ Philoſophi moralis epiſt. 26. ſententia:

Incertum eſt, quo te loco mors expectet:
itàque tu illam omni loco expecta.

DISTICHON.

QVo Libitina loco te expectet neſcius: illam
Tu, vigil, expecta quolibet ergo loco.

De puero IESV faſcijs inuoluto.

DISTICHON.

FAſcia nè ſtringat IESVM; Deus anne timetur,
Tela vibret? puer eſt: tela vibrare poteſt?

DE EODEM ALIUD.

FAſcia cur ſtringit, Mundum qui ſoluere venit?
Soluite: tartareos vt liget ille canes.

In ambientem.

DISTICHON.

SEmper aues excelſa; tamen maiora pericla,
Et mala poſſe, ſcias, inde venire tibi.

Defenditur quidam accipiens ſibi in vxorem, mulierem non venuſtam, Virtutis tamen venuſtate pulcherrimam.

DISTICHON.

DEformem facie, pulchram Virtute peroptat:
Quòd, vultûs ſpecie, pulchriùs iſta trahat.

Scotiæ Regina, Maria Stuarda, ad mortem, pro Catholica fide, magis, quàm vnquàm, ornata progreditur.

DISTICHON.

SE moritura breui Regina monilibus ornat!
Eſt, memini, ſponſum mox aditura Deum.

Fraudolentum vincere ſe poſſe affirmanti.

DISTICHON.

VIs captare vafrum? tu nè captere, caueto,
Ludibrium populi, ridiculumque vafri.

Ad
ALOYSIUM HOMODEUM,
S. R. E. Principem,
tit. S. Mariæ in Porticu Cardinalem Diaconum
humaniſſimæ benignitatis ſpeculum.

Circa Problema Faticoſorum Academiæ
Decimo Calendas Iulij, Anno MDCC.
exhauſtum:

Num Oratoriæ, vel Poeticæ plùs moueant Compóſitiones?

ELEGIA.

NOn hæret nunc Muſa, ſuum de Themate ſenſum
Promere; & huic doctæ carmine ferre Scholæ.
An magis Orator moueat; vel Apolline dignus
Corda? licèt Laurum ſiſtat vtrique ſuam;
Oratore tamen Vatem magis eſſe potentem,
Concinit; & Vatis ſerta dat alma comis.
Libera non floret, veluti facundia vincta:
Delectare magis culta Poëſis habet.
Sic fletum in lætis, riſumque in triſtibus edit:
Blandè illum Tragicus, blandiùs hunc Lyricus.
Quid non demulcet propriâ dulcedine verſus?
Heroum mentes nonne Poëma trahit?
Pectora quin hominum pertracta ferina, ferasque
Cantu ipſas: immò frigida ſaxa lego.
Nè mirere chelyn tantâ virtute valere:
Eius ab Æthereis manat origo plagis.
Solers corda mouet Numen generoſa Poetæ:
Hicque æſtro ſupero percitus ora mouet.

Inge-

Ingenium tenerâ præſens mollitur ab arte:
Ingeriturque metris ingenioſus amor.
Hinc animam penetrant verſus: hinc ima pererrant
Omnia; & ad nutum Vatis amica volant.
Mel ſiquidem, cæleſte fluit cum carmine; & aures
Ingrediens caſto pectus amore replet.
Sunt idioma Poli melicæ modulamina vocis:
Inter & Aligeros cantica grata ſonant.
Nec mirum, quod ibi reſonent in carmina mentes:
Laudatur Dominus ſuaviùs hiſce modis.
Surgit & hiſce modis in laudes Numinis Orbis
Totus: felices motus agitque dies.
Interdùm pariunt nobis mala plura Poetæ;
Inficiuntque viris interiora lue.
Quando melos labris purum vibrare videntur
Vates; & verè mixta venena vibrant.
Tunc vibrant in corda dolos per verba ligata;
Et malè mortales verba per ipſa ligant.
Id fateor lacrymans: tali quandoque Poetæ
Delirant methodo; decipiuntq; bonos.
Hoſtis auernalis ſed eos ità concitat; vt ſe
in ſtyga præcipitent; præcipitentque alios.
Lucidiùs noſtrum tamen hinc Problema refulget:
Quod magis inque pedes verba coacta mouent.
Ergo Academiæ manet hæc Concluſio noſtra,
Vatis ad æternum, præcipuumque decus:
Plùs ad vtrumq; mouet numeris arctata venuſtas:
Suadeat illa bonum, ſuadeat illa malum.

Ad D. Ioannem Hurtado de Mendotia Manricum, Iuris Conſultum Collegiatum Mediolani, *Academicum Faticoſum*,

IL CORAGGIOSO:

De ſuperiori Problemate Oratorem, & Poetam feliciſſimum.

EPIGRAMMA.

SIc benè ſoluiſti eloquio Problema ſoluto;
Moueris vt docto pectora noſtra ſtylo.
Sic aptus, Manrice, tuus fuit vndique ſermo;
Vt nos in mentem duxerit ille tuam.
Hinc Oratorem tulimus quaſi Vate priorem:
Penè illi palmam vidimus eſſe datam.
Vndè ſed hoc? veniam dones, Orator es, vnà
Melle Poetarum dulcia labra gerens.

Ad eundem Dominum Oratorem.

DISTICHON.

GRatia, Ioannes, celebri quam Nomine geſtas,
Manna, ſtuporque fuit, deliciumque Chori.

Ad

Ad doloribus petitum,
eosque intolerabiles vocitantem.

DISTICHON.

Alluditur ad Senecæ lib. de Prouid. cap. 6. aſſertum, quod eſt:

Contemnite dolorem: aut ſoluetur; aut ſoluet.

VEl quia ſoluetur; modico vel tempore ſoluet:
Hac contemnendus ſit ratione dolor.

Ad Sanctiſſimam DEI Matrem MARIAM, propter eius humilitatem, *Violam* dictam ab Hugone à S. Victore ſer. 34. de inſtit. Monaſt. nec non à S. Bernardo in deprec. ad Ipſam.

DISTICHON.

TE violæ Violam *cenſent; humilesque fatentur:*
Quod ſuper as illas; ſummè humilisq; viges.

DE EODEM ALIUD.

TE Violam *obſequium canit inuiolabile noſtrum,*
Signo humili exultans, inuiolata Parens.

Ad Marcum Tullium Ciceronem, qui in libro de amicitiâ, ait:

Nihil Virtute amabilius.

DISTICHON.

SI nihil, vt Virtus, tibi ſplendet amabile, Tulli:
Iudice te, Virtus debuit eſſe Deus.

DE EODEM ALIUD.

SI verum Cicero potuiſset noſcere Numen:
Virtute eſſe aliquid noſſet amabilius.

Plurimùm legentibus, & ſtudioſis.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Quintiliani in Declamationibus: qui de apibus tulit: quod ſuper omnes flores conſident: ſed non ab omnibus omnia ſugunt: cùm ab alijs mel; ab alijs ceram extrahant: ſunt verò hæc eius verba:

Non ex omnibus carpunt vtilia;
ſed in omnibus quærunt.

EX omni libro non carpitis vtile? in omni
Quærite; mellificans ſic operatur apis.

De

De quadam deſcriptione ab amico expoſitâ.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Vix pilus in medio.

Subtili vſque adeò delineat arte figuras;
Vt pilus in medio vix penetrare queat.

Cur Deus mala nobis depluat?

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Conciliant homines mala.

Conciliant homines mala, *quæ Deus Æthere mittit:*
Cùm nequeunt illos conciliare bona.

Illuſtres Proceres dilaudati.

DISTICHON.

Nobilibus laudes vti fumus aromatis extant:
Caligant illis, corde fruente, oculi.

DE EODEM ALIUD.

Nobilium laudes ſunt titillatio cordis:
Hoc nihil abſtracto, lumina cæca notant.

Digitized by

In laborantem vitijs,
ſuasque ad vituperationes plaudentem.

DISTICHON.

DEdecori dum cerno tuo te plaudere, conſtans
Aſſero cum multis: non ratione vales.

DE EODEM ALIUD.

PEccare, humanum eſt: vitiũ oſtentare triumpho,
Eſt Acherontei pompa neſanda gregis.

Mortalibus deceptio detegitur.

DISTICHON.

DIſperit in cunctis noſtris effi cta voluptas:
Ad mortem verum nos comitatur opus.

DE SANCTI CAIETANI
Clericorum Regularium Patris
in cæleſtia amore.

DISTICHON.

QVantus in Æthereos amor eſt in corde Thienis,
Qui mortalis adhuc, ſidera ſcandit amans!

Petenti, quid ſit Veritas?

DISTICHON.

Alluditur ad illud Diui Dionyſij dicentis: *Quid eſt Veritas? eſt Deus: vtpotè vnum, non multa ſecundùm naturam: Verum quippè vnum eſt; mendacium autem multiplex.*

SCis, quid ſit Verum? Deus eſt: mendacia multa
Sunt: Verum vnum eſt: vnus id ipſe Deus.

DE EODEM ARGVMENTO.

VIs ſcire, quid eſt Veritas,
Inſtar Pilati? audi Dei
Reſponſionem: Qui Via,
Qui Vita ſum, ſum Veritas.
Vis ſylogiſmos? percipe:
Simplex, & vna eſt Veritas:
Simplex & vnus eſt Deus:
Eſt ergo Veritas Deus.
Cùm plura ſint mendacia:
Et cùm ſit vna Veritas:
Sic, cùm ſit vnus & Deus,
Eſt ergo Veritas Deus.

Digitized by Google

Faticoſorum Academiæ Problema
Tertio decimo Calendas Auguſti, Anno MDCC.
expoſitum:
An in bello præualeat Ducis prudentia, an militum Virtus?

Ad
Marchionem D. Franciſcum Mariam Caſnedum,
Generalem
bellicorum muniminum in Prouincia Inſubria
Præfectum,
Catholicæ Majeſtati à ſecretiori Conſilio, &c.
Faticoſorum Academiæ Principem,
militari ſapientiâ ornatiſſimum,
pro deciſione Problematis.

TETRASTICHON.

Alluditur ad illud Iuuenalis, Satyrâ x. dicentis:
Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia.

Nullus te meliùs valet hanc decidere litem,
Princeps; qui cauſæ doctus vtrique praees.
Ah! re decidis: ſed verba modeſtia ſternit:
Nullum prudenti Numen abeſſe patet.

Au-

Auctoris mens
circa idem Problema.

ELEGIA.

Ad terrarum Orbis Bellatores.

SI quis adeſt dubius, Ducis an prudentia bello
Certans, præualeat, militis anne vigor?
Audiat has noſtro miſſas è carmine voces:
Hinc poterit ſenſum promere quiſque ſuum.
Corporis humani Cælo prudentia Sol eſt:
Illa deeſt? corpus noctis imago tenet.
Quid faciat corpus ſub noctis imagine? torpet;
Dormit: nec vires ſpiritus acer agit.
Vnum componunt corpus, Dux, miles, in Orbe
Martis: cùm miles ſub Duce bella gerat.
Inferius veluti membrum ſic dimicat vnus:
Vt caput, alter habet Martia ſigna dare.
Deſcendit reliquos Capitis conſtantia in artus;
Stantq; omnes, illo ſtante; nihilque pauent.
Dū caput ægrotat, num cætera membra valebunt?
Sic languet miles, deficiente Duce.
Non ſit ſana Ducis ſapientia, militis atrox
Impetus ipſe ruit, deijciente metu.
Qui furor inuictus de pectore militis ortus
Antè videbatur vincere, victus obit.
Militis omninò ſplendens extinguitur ardor,
Nì Dux prudenti ventilet arte facem.
Semper erit miles ſuperatus ab hoſte; ſagacem
Nutriat etſi animum, deſipiente Duce.
Vita armatorum, Ducis eſt prudentia: vitâ
Omnia membra ſimul digrediente rigent.

Quippè

Quippè bonũ, atq; malum à radicibus arboris omne
Extat; ab his eius brachia cuncta vigent.
A radice virent frondes, arentque; ab eadem
Humorem viuo nì quaſi fonte bibant.
In radice Ducem; ramorum nomine ſeruos
Bellonæ reputes, hac ratione, pares.
A Duce ſic niſi turba ſequens ſapienté vigorem
Hauriat, huic pallet vultus; it ima timor.
Vt lux eſt homini prudentia; nì micet iſta,
Ille nec in caſtris multa pericla videt.
At bellatorum Ducis eſt Sapientia Lumen:
Quod niſi eis radiet, nec mala plura cauent.
Immò velut caſſo caſſus ſi luce ducatum
Præſtet; in interitum cum Duce ductus abit.
His noſtrum Problema nitet: iam deligat illam
Partem quiſque ſibi, quæ mage cuique placet.

Deciſio Problematis ex Valerio Maximo, qui libro iv. ait:

Ducis in Conſilio poſita eſt Virtus militum.

DISTICHON.

Militis àc Virtus, Ducis eſt prudentia maior:
Prudenti vires à Duce miles habet.

Ad

Digitized by Google

Ad
Doctorem Philoſophiæ, & Medicinæ
D. Marcum Aurelium Quæſtam,
Academicum Faticoſum,
IL MODERATO.
Extemporaneè, & optimè, ad Principis Academiæ
nutus,
de ſuperiori Problemate perorantem.

OCTASTICHON.

QVæſta, quis es? noſtros inter præclarus Olores:
Orator, vix à Principe lectus, ades?
Lectus ades, quin immò ferens lectiſſimus omnes
Oratoris opes: ſemper & aptus ades.
Tēporis haud breuitas terret te: promptus ad omne
Egregium: dignus munere munus obis.
Non miror: nam Marte *potens, in mente ter amplâ,*
Palladis, & Martis *prouidus arma tegis.*

Ad eundem Dominum Oratorem.

DISTICHON.

PRoteus & quis ades? Virtutes induis omnes?
Vis dicam, quis ſis? vnus, & omnis ades.

Ni-

Nimis incauto
dulcibus credenti verbis decipere ſoliti:
Alluditur ad Prouerbium tritum:

Non eſt tutum, mellitis credere verbis.

DISTICHON.

NOn puto ſecurum, mellitis fidere verbis:
Melle ſub hoc lepido triſte fel eſſe ſolet.

S. Catharinæ V. Alexandrinæ Martyrium.

DISTICHON.

PVlchrum martyrium! ſine curru, & ſanguine, per (lac,
Virgo triumphali currit ad aſtra rotâ.

De eodem argumento aliud.

MArtyrio Catharina tuo, Via lactea *clarum,*
Admirante Polo, ad præmia ſternit iter.

De Viro quodam ſtudioſiſſimo.

DISTICHON.

Inſeritur Prouerbium notum:
Studium ſtudium generat: ignauia ignauiam.

SIt licèt in ſtudio indefeſſus, nemo ſeneſcit:
Semper enim ſtudium progenerat ſtudium.

Indi-

Digitized by Google

In diteſcentem,
qui cruciatus ſuos, multos eſſe obſtupeſcit.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum S. Gregorij Papæ hom. xv. in Euangelia, *ſpinas* appellantis *diuitias*: nec non ad Prouerbium: *ſpinas colligit*.

TEmpore diuitiæ, & vepres naſcuntur eodem:
Miſcentur vepribus, quando leguntur opes.

Quædam Domina nunquàm tacens,
comparatur importunæ eius catellæ.

DISTICHON.

VNanimi ſtrepitant hera, & aſpra catella latra-(tu:
Beſtia quæ peior? quæ mage latrat, erit.

De paupertatis bono.

DISTICHON.

PAupertas cõmune bonum fouet: excitat artes:
Vtilis vna ſibi, diuitibusque ſimul.

Ad Sanctiſſimam Virginem MARIAM,
quæ à S. Laurentio Iuſtiniano ſer. de Annunc. B.V.
Naufragantium Portus appellatur.

DISTICHON.

IN medio mea cymba mari eſt: tu ſola MARIA,
Tutus, nè pereat naufraga, Portus eris.

In

In quendam, ex Prouerbio.

DISTICHON.

NE doleas, tecum quod vulpinetur amicus:
Nam vulpinari cum ſene vulpe decet.

Leuioris hominis figura.

DISTICHON.

QVid ſit inanis homo? nè quæras; nomine conſtat:
Vento, *vel* nihilo plenus *inanis* vter.

De S. Laurentio inter flammas Martyrij exultante.

DISTICHON.

IVbilat in medio Laurentius igne: Pyrauſta
Verus, inextincto qui flagrat igne DEI.

Fidicen aliquis defenditur.

DISTICHON.

CViquā non placeat: dignū eſt hoc ludere: dextrâ
Ludere felici nullus vbique poteſt.

Ad recidiuum peccatorem.

DISTICHON.

TVrpe, bis ad lapidem, *nimis* eſt, offendere eundē;
Turpius eſt, iterùm lædere Numen erit.

De

De quodam inepto, ſtudijs admoto.

Alluditur ad Prouerbia:
Haurit aquas cribro: venatur ventos rete.

DISTICHON.

HAurit aquas cribro: venatur reteque ventos,
Qui genio, ingenio deficiente, ſtudet.

Ad IESUM Chriſtum peccator, in ſpiritualibus cæcus.

DISTICHON.

CVm ſpeculo nihil eſt cæco; mihi at omnia tecum,
IESV: nam cæcis es quoque tu ſpeculum.

DE EODEM ALIUD.

ILluſtrare luto cæcum, cui, Chriſte, poteſtas:
Illuſtrato mei fruſtula cæca luti.

In Lyricinem ignarum.

DISTICHON.

NOn benè te, Lyricen, noſcis: iam conſule famæ:
Aptior eſt liræ, quàm tua dextra lyræ.

De

De mundanis delicijs.

DISTICHON.

ALlicit haud ſaturat ſenſus mundana voluptas:
Allicit, & ſaturat Viſio ſola Dei.

Circa nonnullius literarum ſcientiam,

Reſpondetur ex Prouerbio.

DISTICHON.

CIrca radices montis verſatur *amicus:*
Qui vires vix, vt ſcandere poſſit, habet.

Ad quendam paruum corporis mole, magnanimum corde,

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:

Hercules animo, Tydeus corpore.

HErculeâ *præſtas* animâ, *qui corpore* Tydeus
Es; potes aſt illâ ferre Gigantis onus.

DE EODEM ALIUD.

PVmilio, Herculeũ cor habes; ſed vt Hercule di-(gnum
Quid facias; monſtrum vince, quod ipſe refers.

Ad Problema Faticoſorum Academiæ
pro noſtro Clericorum Regularium Patriarcha
SANCTO CAIETANO
eiuſdem Academiæ Protectore,
Calendis Septembris, Anno MDCC.
plurimis, formoſiſque Rhetoricæ floribus
intertextum, ſcilicet:

An maioris Sanctitatis fuerit argumentum, quod Diuus CAIETANVS, adhùc viator, IESVM infantem in vlnas à Deipara acceperit; vel ab ipſo IESV Eius Crucem in humeros?

Ad D. Franciſcum Boneſanam,
Nouocomenſem Epiſcopum, &c.
è noſtro ſacro Ordine aſſumptum,
maſculæ doctrinæ, & Virtutis præſtantiâ,
non tantùm gregi ſuo, ſed & exteris,
Paſtorem maximè vtilem.

Pro pueri IESU gratia,
per Beatiſſimam Virginem MARIAM
Sancto CAIETANO collatâ.

EPIGRAMMA.

Filius, & Mater magno te munere donant,
Diue: dat hæc donum maius, an ille tibi?
Cum Gnato Genitrix tibi dat ſimul omnia: Gnatus
Eſt Matri, eſt cunctis ſcilicèt omne bonum.
Præmia maiorem Sanctum maiora ſequuntur:
Fers IESVM maior: fers minor ergo Crucem.

Digitized by Google

In fauorem Crucis.

EPIGRAMMA.

SAnctus es: indè MARIA tibi concedit IESVM:
Sanctus es: hinc charam cedit & ille Crucem.
Maior an es Sanctus, IESVM quia dat tibi in vlnas
Virgo? humeris propriã Chriſtus an ipſe Crucem?
Ora ſilent; at ego capio, quid dicere velles:
Sancti Sanctorum Crux habet omne decus.

De eodem.

TETRASTICHON.

VT ſeruo Dominum concedit Virgo Thieni:
Vt ſimili Dominus cedit amore Crucem.
Quid nì maior erit Sanctus, Cruce quem Deus ornat?
in patiendo, ſibi quem facit eſſe parem?

Pro eodem.

EPIGRAMMA.

CAIETANE, tibi IESVM deponit in vlnas
Virgo: ſuam IESVS in tua terga Crucem.
Filius, & Genitrix, retinent vbi corda, reponunt
Ambo theſauros, deliciasque ſuas.
Ambo dedere tibi ſua pignora amata; ſed à quo
Vir magis in terris Sanctus habendus eras?
Eſt ſeruare Deum gremio, data Gratia gratis:
Sanctius eſt, animo ferre lubente Crucem.

Ad

Ad
Patrem Georgium Mariam Geſſinum
è ſacra Societate IESU
in Braydenſi Mediolani Collegio
Philoſophiæ Profeſſorem,
Academicum Faticoſum,
IL CONSIDERATO,
tùm ſacris, tùm profanis ſtudijs
liberalitèr eruditum;
ac de prædicto Problemate
SANCTI CAIETANI
elegantiſſimum in Academia
Oratorem.

EPIGRAMMA.

PVlchrum debueras hoc tu Problema, Georgi,
Soluere, qui fandi pulchriùs arte vales.
Quid quòd, es è ſocijs IESV, comes atq; MARIÆ;
Et reſcire, quis eſt ſenſus vtrique, potes.
Plauſibus indè tibi concordes adſumus omnes,
Sacrantes meritis parta trophæa tuis.

In hominem voluptarium.

DISTICHON.

QVid mundana ſitis ſolatia? nulla palatum
Exſatiant hominis; ſed labra ſola rigant.

DE EODEM ALIUD.

CErne, voluptatũ quotquot ſe in rete volutant:
Quod bona cũcta volunt: quod bona cũcta volãt.

In quendam iactitantem, ſe multùm peccaſſe; & pauca paſſum fuiſſe.

DISTICHON.

SÆpè ego peccaui, ſemperque impune? caueto
Numen: compenſat nam grauitate moram.

S. Simeon Salus ſanctè inſaniens.

TETRASTICHON.

Alluditur ad illud Apoſt. 1. Cor. 4.
Nos ſtulti propter Chriſtum.

STultus es? haud cunctis eadem eſt veſania ſtultis:
Stulti alij ob Mundũ: ſtulti alij ob Dominum.
Doctrina inſignis! ſtulteſcere propter IESVM:
Ex qua ſtultitiæ prouenit arte Salus.

Verſutos aſſequi ſe poſſe aſſerenti.

DISTICHON.

V*Ix* captare *poteſt* anguillam *ſedula dextra:*
O te felicem, qui tot in Orbe capis!

In mordacem aliquem.

DISTICHON.

MOrtuus eſt: cur hunc etiam tua lingua momor- (dit?
Viuentis pœnas experiere DEI.

ALIUD

ALIUD DE EODEM.

DEfunctum mordes? pœnas lue: mitior hæc ſit:
Hoſti, pro morſu, baſia fige tuo.

De Humilitate.
Exprimitur S. Auguſtini ſententia dicentis in Proem. l. 9. de Trinitate:
Laudabilior eſt animus, cui nota eſt infirmitas propria, quàm qui, eâ non reſpectâ, faſtigia Cælorum ſectatur.

DISTICHON.

SI tua debilitas tibi nota eſt, laus tibi maior,
Quàm ſi, hac ignotâ, ſcandere ad aſtra velis.

Diuexans virum in Deo firmum,
Prouerbio taxatur.

DISTICHON.

CVi baſis eſt Chriſtus, fruſtrà violentia quaſſat:
Eſt qui percutiat? verberat hic lapidem.

Cuidam alta nimiùm aggredienti.

DISTICHON.

FVmus vt aſcendens, ſubitò vaneſcit in auras,
Progreſſus pariles ambitioſus habet.

Digitized by Google

ALIUD DE EODEM.

E *Terra in Cælum nè tentes ire volatu;*
Icarus aut fies: inter vtrumque vola.

In luxurioſum ob faces ſuas afflictum.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Eſt intùs equus Troianus.

Q*Vid quereris, flammis quòd tecta domeſtica flagrent,*
Improbe? Troianus *cùm manet* intùs equus?

Ad Angelos noſtros Tutelares,
dictos à Philone Iudæo libro de inſomnijs:

Oculos, & aures.

DISTICHON.

A*Ligeri: qui vos* oculos, aures*que vocauit,*
Rem tetigit: nobis eſtis vtrumque bonum,

DE EISDEM ALIUD.

N*E ſurdus ſuperis fiam: nè cæcus oberrem;*
O oculi, ò aures, *inuigilate mihi.*

Patri D. Ioſepho Nigoſanti
Clericor. Regul. Congregationis Conſultori:
& concionandi arte,
& dirigendæ Religioſæ diſciplinæ ſapientiâ
peritiſſimo.

Quarè Deus in ſacris paginis nunc *Dominus*, nunc *Pater* appelletur?

DISTICHON.

CVr Pater, & Dominus *vult Numen amabile dici?*
Vt Dominum *timeam ſemper, amemq;* Patrem.

In quendam longiſſimo inſtructum naſo.

DISTICHON.

Alluditur non modò ad id, quod Vates canunt; & profani ſcriptores afferunt: ſcilicèt, *longum naſum ſignum eſſe prudentiæ, & diſcretionis*; verùm etiam ad id, quod reliquit S. Gregorius Papa 1. p. Paſtoralis curæ cap. xi. ſuper c. 21. libri Leuitici, vbi inquit: *rectè ergo per naſum diſcretio exprimitur; per quam Virtutes eligimus, delicta reprobamus*; vndè, & in Sponſæ laudem dicitur: *Naſus tuus ſicùt turris, quæ eſt in Libano, &c.* Cant. 4.7.

SI trahat à longo indicium prudentia naſo;
Prudentem nullum te magis Orbis habet.

Imago Deiparæ in tabula Nauis.

DISTICHON.

ÆQuora qui tranas, tabulam venerare Mariæ:
Hæc ſit naufragijs vnica cymba tuis.

De ſuauiſſima alicuius Viri amici attractione.

DISTICHON.

ATtrahit vt ferrum magnes; ſic noſter amicus
Attrahit affectus; noſtraque corda rapit.

Ad D. Franciſcum Stuppanum, Regium Magiſtratûs Extraordinarij Quæſtorem, non tàm Nepotem, quàm amicum meum chariſſimum.

De Horologio rotario momenta ſignante.

DISTICHON.

QVid momenta notans horaria machina ſtridet?
Nos, tacitis alis illa volare, monet.

De hominis diſcurſu.

DISTICHON.

LYdius eſt, veluti ſermo, lapis: indicat ille,
Qui ratione valet, qui ratione caret.

In

Digitized by Google

Super Argumentum Faticoſorum Academiæ
XVIII. Calendas Ianuarias,
Anno MDCC.
in honorem eiuſdem Academiæ Protectoris
SANCTI CAROLI BORROMÆI,
S. R. E. Presbyteri Cardinalis,
Mediolani Archiepiſcopi, &c.
An ſcilicet:

Sanctus CAROLVS fuerit magis humilis, vel magis magnanimus?

ELEGIA.

In qua ex moralis Philoſophiæ principijs ſoluitur Problema.

D. LIVIO ODESCALCHO,
Cæri Duci,
S. R. Imperij Principi, &c.
Innocentij XI. Summi Pontificis
ex fratre Nepoti,
micanti multiplicis Virtutis
exemplo,

Magnificus, ſapiens, iuſtus, vel ſtrenuus vnus
Sit Vir, magnanimi Nomina ſemper habet.
Nam ſoror inſeruit Virtus quæcunque ſorori:
Participes fiunt mutuò, ſeque fouent.
Strictè magnanimi decus ille meretur, honeſtâ
Ex ratione cui grandis oberrat honos.
Quiſquis, honeſtatis causâ, venatur honores
Magnos, magnanimus veriùs ille Vir eſt.

Si

Si verò tales magnos ſectatus honores,
Hos quis maiori ſpernere corde ſciat:
Hic hic magnanimi radijs connectit & illos
Eximios humilis; magnanimusque præit.
Quò magis eſt etenim Virtus illuſtris; eidem
Stat meritum maius, maius ineſtque iubar.
Cor cui magnanimũ eſt, cupit iſta: mouetur honeſti
Gratiâ; & excelſo dignus honore nitet.
Celſiùs ille tamen Virtute aſcendit in alta
Culmina, qui ſcandens, incolit ima ſimul.
Cognitione ſui colit ima; ſuosque nitores
Omnes, ſolius percipit eſſe Dei.
Nec niſi deterius ſibi ſumere nouit: & vnum
Computat vt proprium, quod videt eſſe malum.
Hæc humilis ſemper Caroli ſub corde recondit
Mens, in ſublimi quò magis ille ſedet.
Hæc intellectu meditatur; amatque profundis
Viſceribus, quauis ſe retinere die.
Idcircò in magnis humilis mage Carolus Heros,
Plusquàm magnanimus tempora duxit humi.
Sic benè, ſe didiciſſe docet documenta Magiſtri
Chriſti: humili primum qui dat vbiq; locum.

De eodem Argumento.

DISTICHON.

MAgnanimis humilis præit vt mortalibus He-(ros:
Sic humilis Carolus magnanimo ipſe ſibi.

Ad Catholicum terrarum Orbem
pro felici electione,
Nono Calendas Decembris, Anno MDCC.
Summi Pontificis CLEMENTIS XI.
in cuius Inſigni Gentilitio refulget
STELLA.

DISTICHON.

GAude, Cymba Petri: cynoſura fidelibus adſtat:
Quosque ſtygis fluctus iam ſuperare potes.

Ad D. Hieronymum Mariam de Florentia,
Marchionem de la Fuente, &c.
Academicum Faticoſum,
L' AGGHIACCIATO,
lepòris, ac doctrinæ plenâ oſtendentem Oratione,
quod vtraque Virtus, ideſt:
Sancti Caroli Paſtoris noſtri Magnanimitas,
& eiuſdem Humilitas magnoperè excelluerit.

EPIGRAMMA.

CVm maior ſtatuendus honos, dubitauit Apollo:
Plùs humili Carolo, vel mage magnanimo?
Scilicèt egregiè Virtute refulſit in omni:
Celsè humilis Carolus, magnanimusq; micans.
Ergo quis Iudex? ſi par: humilisque probatur
Magnanimus Carolus: magnanimusq; humilis?
Nouit Apollo tuis tandèm, Florentia, dictis,
Quòd Caroli Virtus vtraque magna fuit.
Tàm benè lingua tulit tua rem lectiſſima nobis;
Vt dubio nullus iam locus eſſe queat.
Hinc Tibi laus libanda manèt, concludit Apollo:
Teque, ſit vt parilis, non niſi magna decet.

Cùm

Cùm, eâdem die,
Princeps Theodoſius Lotharingius,
vulgò Dux del Bouf, &c.
Faticoſorum Academiæ,
Quæ Pyramidem erigendam pro Symbolo exhibet,
inter Sancti Caroli Antiſtitis, & Cardinalis
Mediolanenſis laudes,
ſuâ præſentiâ, ex tempore, fauet.

EPIGRAMMA.

Est hodiè ſplendens Academia noſtra ſereno
Ter Cælo, ter vbi ſtirpe ſerenus *adeſt.*
Eia, Faticoſi Heroes, hoc addite noſtræ
Pyramidis faſtis carmine dulce decus.
Principis ob tanti, cuius tot Sanguine Reges,
Et Fidei, & populis luce tulere diem,
Plaudite: ſit nobis etiam Lotharingia plauſûs
Cauſa, vbi laudandus Carolus vnus erat.
At benè cum noſtro Carolo celebretur & Alter:
Stat Caroli Magni Regius ecce Nepos.
En noſtrum Pindum Virtutis honore coronat;
Vt noſtra hæc citiùs Pyramis aſtra petat.

Ad Patrem Carolum Gregorium Roſignolum
è ſacra Societate IESU,
Virum
multis præcipuiſque,
meritò, in ſua Religione
exercitis muneribus;
pluribus in lucem editis inſignibus Libris;
nec non pietate, & humanitate religioſiſſimâ
celebrem.

De prædicto Problemate:

Magisne Diuus Carolus Magnanimus fuerit, an magis humilis?

EPIGRAMMA.

PAr in vtraque fuit Carolus Virtute; nec vna,
Aut minor in Carolo, aut altera maior erat.
Magnanimo quanuis præſtaret pectore geſta;
Geſtorum laudes ſpernere primus erat.
Si ſua pauperibus fundebat prodiga nummos
Dextera; magnanimum clauſa tegebat opus.
Sic omnes deſpexit opes; vt nobile rebus
Altiùs humanis tolleret ille caput.
Ambitio quando, quando illum gloria cunctis
Vrgebant, illi cuncta fuere nihil.
Offendentis erat pronus dimittere culpam:
Vnius hoſtis erat corporis ipſe ſui.
Ergo ſit hæc Caroli nulli par Gloria: vtramque
Virtutem ſummo par meruiſſe decus.

De amore terreno, & cæleſti.

DISTICHON.

NVlla, & cuncta videns Amor efformetur ab arte:
Nullaque terrenus, cunctaque Diuus Amor.

Rex ſuis legibus ſubdatur.

DISTICHON.

VT iuſtū eſt, quod Rex ſuperet Virtutibus omnes;
Rex ſubſit legi, lex petit æqua, ſuæ.

Conuicianti Fortunam.

DISTICHON.

SIt quidquid, Fortuna, velis: ſuperāda ferendo eſt;
Infandis linguæ non ferienda modis.
Ex Virgilio Æneid. 5.

Quarè deferantur ad Diuorum Altaria flores à poſcentibus gratias?

DISTICHON.

SPerat egens: virides ſunt ſpes in floribus: indè
Flores ad Sanctos fert, quia ſperat, egens.

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
Summo Pontifici,
Vero Heroi,
DEI Eccleſiam,
inter magnas ſæculi calamitates,
opportunâ Sapientiâ, Iuſtitiâ, & Charitate
gubernanti.

EPIGRAMMA.

Concluditur cum S. Bernardi Abbatis ſenſu,
ſerm. 43. in Cant.

INgenti, Clemens, rerum ſub mole laboras;
Ætheris, & terræ pondera cuncta ferens.
Maior Atlas ficto, verus licèt ille fuiſſet!
Cùm Cæli, & terræ pondus vtrumque regas.
Sic benè difficili tamen omnia tempore geſtans;
Diceris, & ſanctè, maximus Orbis Atlas.
Subleuet, vt tanti Bernardus pondera faſcis,
Offert faſciculum, qui Tibi charus erit.
Faſciculum paſſi formant Inſignia Chriſti:
Inſpectus curas leniet ille tuas.
Eſt myrrhæ, fateor: menti ſed mella propinat:
Expertum teſtem do Tibi mellifluum.

Pa-

Digitized

Patri D. Antonio Mariæ de Villena,
Clerico Regulari,
pio, & diſerto Concionatori,
qui per Quadrageſimales labores,
& noſtra in Patria, & in alijs Italiæ Urbibus
eximios animarum fructus retulit
cum ſui Ordinis decore.

Mors cum falce.

DISTICHON.

CUr mors, non gladio, ſed falce minatur aduncâ?
Nam mortale Genus non ferit illa, metit.

DE EODEM ALIUD.

MOrs adhibet falcem? caueamus: quādo videtur
Amplecti, vitæ ſtamina noſtra ſecat.

Ad IESU Chriſti Sepulchrum.

DISTICHON.

ESt tumulus Chriſti, quem cernis: quæris in illo
Mortem? iſtam, ſcito, Vita quod inde fugat.

In quendam laſciuis ignibus exardentem.

DISTICHON.

UT neglecta ſolent incendia ſumere vires;
Sic impura tuo in pectore flamma flagrat.
Ex Horatio ep. 19.

Hono-

Honoris puncta,
quàm ſerus viris cruciatus ſint.

DISTICHON.

NOn ità ſunt Titio crudeles vulturis ictus;
Sunt uti puncta, quibus dilaceratur honos.

In quendam ad nihil incumbere
ſatagentem.

DISTICHON.

ECquid agis, deſes, telluris inutile pondus?
Pondus at in terra nil grauitatis habes.

SEU.

Pondus at es terris ex leuitate graue.

De eodem.

ALIUD DISTICHON.

Alluditur ad idem Prouerbium.

VIs referam quid ſis: fero: pondus inutile terræ
Es: nec compatior: tale quod eſſe velis.

Interrogatus Auctor,
quarè Martyres in ſuis fuerint tormentis læti;
& Chriſtus Dominus,
licèt ab inſtanti ſuæ Conceptionis beatus,
fuerit in ſua paſſione triſtis?
cauſam à IESU poſcit, & reddit.

DISTICHON.

Alluditur ad id S. Ambroſij in cap. 12. Lucæ:
*Suſcepit triſtitiam meam; vt mihi
ſuam lætitiam largiretur.*

GAudet Martyr; & vndè dolor tibi, Chriſte? do-lore
Illius angor; ouat gaudio & ille meo.

Auctor de amico ſuo paupere,
& Virtutibus inſigni.

DISTICHON.

Alluditur ad id, quod dixit Anaxagoras:
*Nemo ſimul Virtutes, & diuitias
poſſidere poteſt.*

DIuitiæ, & Virtus, genus inſociabile: Virtus
Se cum pauperie iungere ſæpè ſolet.

DE EODEM ALIUD.

CHarior eſt mihi amicus inops locuplete: quòd vnà
Virtutes, & opes nemo fouere poteſt.

S. Am-

S. Ambroſij Mediolani Antiſtitis eloquij dulcedo.

DISTICHON.

AMbroſij mel apis labris infudit; at ille
Quàm meliùs cupidis auribus, atque libris!

DE EODEM ALIUD.

DVlcius an ſtillet mel, dic, dulciſſima Clio:
Ambroſij ex labris, Ambroſijne libris?

Sculptori, ex Auctoris iuſſu, Deiparam in ebore exprimenti.

DISTICHON.

EBore ter puram, ter pulchrè ſculpe MARIAM:
Et celebri Phidiâ ter mihi maior eris.

ALIUD DE EODEM.

NOlo ſit hæc laterũ, ſed Turris eburnea: *per quã,*
More giganteo tutiùs aſtra petam.

Ad quandam pudiciſſimam mulierem *Barbaram* Nomine.

DISTICHON.

BArbara *ſis, cupio, non ſolo Nomine, ſed re,*
Si qua pudicitiæ techna parata tuæ.

Iuueni irridenti virum caluum;
in eumque inſurgenti ijs Ouidij verſibus:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

DISTICHON.

TVrpe caput, fateor, mihi, deficiente capillo;
Turpius at, cerebro deficiente, tuum.

In Hypocritam.

DISTICHON.

SIc cælare poteſt propriam diù hypocrita fraudem:
Vt diù, in agninâ veſte, latere lupus.

DE EODEM ALIUD.

ABſcondis ſub veſte boni fruſtrà mala: veſtis
Virtutis, vitium nulla operire poteſt.

Petenti Viri conſtantis ſimilitudinem.

DISTICHON.

CVi conſtans ſimilis ſit Vir, tibi dicere neſcit
Muſa; niſi hunc Niobes *conferat archetypo.*

Terun-

Teruncij homo ad excelſa elatus, præceps.

DISTICHON.

TE cecidiſſe breui, ſtrepitas quid homuncule? in altum
Sic vapor elatus tendere ad ima ſolet.

In Aulicum circumlocutionibus carentem.

DISTICHON.

QVod labyrinthiacos neſcis effingere nexus
Verborum, haud grates Principis indè capis.

DE EODEM ALIUD.

NI verboſus eris, mimus, detractor, adulans,
Ni delator, eris nil placiturus heris.

Ad D. Iacobum Marchionem Fagnanum
eximiæ Virtutis animi, & mentis
Equitem:
qui humaniſſimè
ad noſtram Faticoſorum Academiam
accedere ſolitus eſt.

Vndè vir optimus cognoſcendus?

TETRASTICHON.

TEr ne bonum vis noſſe virum? ſcruteris, an iſte
Intrepidus ſit, vbi læditur eius honor.
Intrepidus læſo ſi quis perſiſtat honore:
In ſerie Heroum connumerandus erit.

Digitized by Google

In iuuenem ſenes inſtruere contendentem.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Diſce priùs natare, quàm Delphinos nare doceas.

DElphinos doceas *euro* quàm nare *furenti;*
Per mare naufragum diſce natare priùs.

Charitas perſeuerat in Cælis.

DISTICHON.

ESt amor in Patria: nec ſunt ſine amore beati
Ciues: vera parit gaudia ſolus amor.

De hominis tribulationibus.

DISTICHON.

ÆRumnis vexatur homo, firmatur vt arbor,
Dum frondes, boreâ diſcutiente, cadunt.

Mater Machabæa.

DISTICHON.

VEra parens: vbi parturijt ſua pignora terræ;
Vitali fato parturit illa Polo.

Ad
BANDINUM PANCIATICUM,
S. R. E. Presbyterum Cardinalem,
tit. S. Pancratij,
Sacri Tridentini Concilij Congregatiónis
Præfectum,
Inſigne Iuris Prudentiæ Iubar.

De Problemate,
Tertio Idus Ianuarij, Anno MDCCI.
In Faticoſorum Academia expreſso,
ſcilicèt:

An plùs erret oculus, vel auris?

EPIGRAMMA.

MVſa cupis, ſoluatur: an ampliùs auris aberret;
Aut oculus? facili ſoluitur ecce ſtylo.
Cùmque mihi conſtet, duplici ſuccumbere culpæ
Aurem, oculumq; placet reddere vtramq; cheli,
Nempè errare poteſt oculus plùs, ſicùt & auris:
Maiori errorum pondere, vel numero.
Aſt in vtroque errore oculum plùs arbitror aure;
Huic minor errandi cauſa quòd eſſe ſolet.
Segniùs irritant animum demiſſa per aurem;*
Quàm quæ ſunt fido ſubdita facta oculo.
Si mage tunc cadimus, mage quādo laceſſimur: ergo
Ampliùs errantem quis neget aure oculum?
** Horatius de arte Poetica.*

De eodem Problemate.

DISTICHON I.

CVm ſit plùs oculus vagus aure, ſit indè, quod erret,
Et labi iſta minùs poſſit; & ille magis.

DISTICHON II.

SInt oculi, conſtat, prompti magis auribus: illis
Hinc iſtas falli colligo poſſe minùs.

DISTICHON III.

SVnt in amore duces oculi: *quapropter, amoris*
Illecebris, oculos ſæpiùs error agit.

Ex Ouidio.

DISTICHON IV.

ERrores oculus deflet, non auris: ob iſtud:
Pronus in errores quòd magis aure cadit.

DISTICHON V.

AN mage in errores oculus labatur, an auris?
Ex Eua, & Dauid diſcere quisque poteſt.

Ad

Digitized by Google

Ad Faticoſum Academicum,
IL VOLONTEROSO,
Patrem D. Innocentium Barcellinum
Monaſterij S. Petri Cæleſtini Mediolani
è ſacro eiuſdem S. Petri Cæleſtini Ordine
meritiſſimum Abbatem, &c.
eruditum, & doctum de eodem Problemate
Oratorem.

EPIGRAMMA.

IN multis quamuis oculus fallatur, & auris:
iſta, nec ille modò deſipuiſſe liquet.
Audyt, excellens Abbas, attentiùs auris:
Aſpexitque oculus cuncta referre Virum.
Proh ſtupor! ornatâ qua de Problemate formâ;
Quàm pretioſa tui lingua fluenta dedit!
Nobilis eloquio non defuit vlla voluptas;
Adfuit vtilitas omnis, & omne decus.
Non meus hæc oculus tantùm teſtatur, & auris;
Sed præſens auris quælibet, ac oculus.
Totaque noſtra ſuam promens Academia mentem:
Hîc oculum, hîc aurem non habet error, ait.

Ad amicum de amico paupere,
ſed Virtute exculto.

DISTICHON.

NE dicas, quod inops noſter ſit amicus, amice:
*Quem penès eſt Virtus, ſunt quoq; cuncta bona.**
** Virtus omnia in ſe habet. canit Plautus in Amphit. act. 2. ſc. 5.*

In-

Iudas laqueo ſe ſuſpendit.

DISTICHON.

POenarum laqueis Iudas in corde reuinctus;
Frangat vt internos, ſe exteriore necat.

De N. N. nugatore potiùs, quàm nauo milite.

DISTICHON.

STrenuus eſt miles, nec eo eſt mage ſtrenuus alter;
Aſt vbi bella refert, non vbi bella gerit.

Ad aliquem
malis leuioribus, quæ patitur, acquieſcere
indignantem.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Fumum fugiens, in ignem incidit.

ESt leue, quod pateris: grauiùs fortuna flagellat:
Si grauis eſt fumus, num leuis ignis erit?

In blaſphemum.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Iacularis in Cælum.

BLaſpheme, in Cælum quid inania ſpicula vibras?
In caput illa tuum mox reditura cadent.

Ad

Ad P. D. Antonium Cauenagum,
Clericum Regularem,
Virum literatiſſimum,
Inſignemque,
quà naturalium, & diuinarum ſcientiarum:
quà ſacrorum Canonum:
quà conſcientiæ caſuum profeſſione,
nil minùs,
quàm moralium, & Clauſtralium Virtutum
exercitatione.

De Virtutis mercede.

DISTICHON.

Allud. ad Claudiani in Conſul. Manlij ſententiam:
Ipſa quidem Virtus pretium ſibi:
Item ad illam Silij Italici, libro 13.
Ipſa quidem Virtus ſibimet pulcherrima merces:
Quæ loca illuſtrare viſus eſt
S. Gregorius Nazianzenus, cùm inquit, orat. 15.
Quòd omnis merces, præter Virtutem,
eſt Virtute indigna.

Eſſe ſibi merces cur dicitur vnica Virtus?
Se præter, merces par quia nulla datur.

Maria Virgo,
ex S. Germano, Orat. de Præſentatione,
Splendor iacentium in tenebris.

DISTICHON.

Splendor inoccidue, in tenebris exurge iacenti;
Et rogo, ſis pedibus fida lucerna meis.

Ad

Ad illuſtriſſimum adoleſcentem, putantem, ſe abſque labore, & ſtudio, *Virtutem aſſequi poſſe:* ex eo tantùm, quòd Nobilitate emineret.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Senecæ ep. 9.
Non dat Natura Virtutem.

FAlleris, ò iuuenis: non dat Natura nitenti
Sanguine Virtutem; ſed labor, & ſtudium.

ALIVD.

NOn, iuuenis, Virtus eſt Nobilitate; ſed arte,
Sudore, & ſtudijs illa paranda tuis.

Demoſthenes de vulgo:
Tàm eſt mutabile vulgi ingenium; vt, quidquid conſtantèr velit, aut nolit, non facilè intelligi poſſit.

DISTICHON.

SIc vulgus mutatur iners; vt vix ea noſcas,
Quæ velit, aut nolit; marte, vel arte coquat.

SEV ALIVD.

SIc vulgus variatur iners, vt Protea credas:
Quid velit, aut nolit, quis penetrare valet?

De

De adulatore.

DISTICHON.

QVid ſit adulator vis ſcire? tyrannus amicus:
Alterius genium fraude, vt honore, trahens.

DE EODEM ALIUD.

QVid ſit adulator: dicam: ambitioſa libido:
Proditio veri: peſtis amicitiæ.

Quomodò quis culpis immunis viuere valeat?

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Tanquàm ſuper ſpinas incedit.

SI velis in Mundum ſine ſordibus ire, viator:
Perge, quaſi ſpinis ſemita plena foret.

DE EODEM ALIUD.

SI noſtrum ſine, vis, culpis percurrere Mundum;
Tutus eris, medios ſi placet ire vepres.

De felici, vel infelici morte.

DISTICHON.

NOn obit infelix ſemper, qui vixit iniquè:
Infelix nunquàm, qui benè vixit, obit.

Ad

Digitized by Google

Ad Patrem D. Ambroſium Benaglia,
Clericum Regularem,
Oratorem cultiſſimum,
& animarum ſaluti feliciter deſudantem.

De Rhetoris in animos dominio.

EPIGRAMMA.

O Quæ Rhetor agit! docet vnus, & attrahit vnus
Indoctos, doctos: vnus vtroſque regit.
Fert vitam, fert fata viris: mutatq; potentum
Ore voluntates: munus obitque Dei.
Supremos meritò rapit ad ſe Rhetor honores:
Proh! quæ pro libito Rhetor in Orbe poteſt.

De eodem Argumento.

DISTICHON.

CVm Rhetor trahat ad ſe aures, oculoſq;, animoſq;:
A rete, *vt credo, Nomina* Rhetor *habet.*

SANCTI CAIETANI,
Cler. Reg. Patriarchæ,
in aduerſis tolerandis Fortitudo.

DISTICHON.

SIt decus eximium, perferre aduerſa: Thienes
Lætus Apoſtolicis pertulit illa modis.

Ad

Ad Problema,
in quod,
ſeptimò Idus Februarij, Anno MDCCI.
Faticoſi Academici,
in conſuetis noſtris S. Antonij ſacris Ædibus,
collimarunt:
Num ſcilicèt cantus, vel ſonus in merito praeat?

EPIGRAMMA.

D. Alexandro Littæ
ex ſexaginta Mediolani Decurionibus,
Academico Faticoſo,
LO SCIOPERATO,
Equiti,
illuſtrioribus mentis, animique partibus
referto.

AN ſonus, an cantus maiori laudis honore
Sit dignus? noſtro ſiſtit Apollo Choro.
Illicò dulciſono citharædus melle per aures
Ingrediens, vrget vota dicare ſono.
Non ſecùs argutis erumpens cantor in auras
Vocibus, ad ſe ſe flectere vota ſtudet.
Auribus accipimus cantumq;, ſonumq;; ſed hæret
Cor: quòd amicorum tangere iura timet;
At reuocans vnà ſenſum, mentemque pauentes,
Hoc in Conſilio, quis timor, inquit, adeſt?
Dicitur Æthereus cantusque, ſonusque: meretur
Et ſonus, & cantus laude praeeſſe pari.

DE EISDEM DISTICHON.

PRaſtat vterque: ſonus, cantusq;: ideòq; beantes
Cantus adde ſonis: cantibus adde ſonos.

Pro

Pro cantu.

DISTICHON.

COr gignit cantũ: pariunt hunc labra: quis ergo
Præſumat cantu dignior eſſe ſonus?

Pro eodem cantu.

DISTICHON.

QVod ſonus à cantu ſuperetur, claret apertè:
Inſtrumenta ſonant; ora hominumq; canunt.

Pro ſono.

DISTICHON.

INſtrumenta ſonant; cantant verò ora: præire,
Vtpotè plùs mirum, quis neget ergo ſonum?

Pro eodem ſono.

DISTICHON.

QVod cantũ vincatq; ſonus, mihi clariùs extat:
Sæpè ſonaſſe lego, vix ceciniſſe Deos.

Pro cantu, & ſono, litigij finis.

DISTICHON.

QVi cupit æquatâ litem hanc perſoluere lance,
Iudicium, attentus, litis ab aure petat.

Ad

Ad amœniſſimum Oratorem
D. Iacobum Inſulam,
Academicum Faticoſum,
L'APPARECCHIATO,
de eodem Problemate, florida cum facundia,
ad magnam vtriusque partis gloriam,
elocutum,

EPIGRAMMA.

NVm ſonus aut cantus præcellat? flumine linguæ,
Inſula, *fudiſti Palladis æquor opum.*
Orator ſapiens! tua nos ſimul vnda rigauit
Aurea, vti cantûs, iura ferendo ſoni.
Tàm precioſa ſoni, & cantûs documenta fuere;
Vt, propè nos, primum ſeruet vterque locum.
Non ideò tibi laus minor eſt tribuenda: putamus,
Hinc tibi deberi maius in arte decus.
Scilicèt eſt artis doctæ, decidere cauſas
Talitèr, vt partes ſint ſine lite pares.

Ad eundem Dominum, Apollineum ſanè Vatem;
ob multas quotidiè laudes Auctoris Poeſi
ab illo donatas.

DISTICHON.

CVm tibi ſic placeant mea carmina, culte Poeta;
Quæ bona vix ſunt in ſe, meliora facis.

Eiuſdem Domini ad Auctorem Reſponſio.

DISTICHON.

NOn meliora tibi reddo tua carmina, Vates;
Hæc docuere tamen, ſed meliora mihi.

Ad peccatorem de ſuis erroribus pœnitentem.

DISTICHON.

QVæris amare Deum? fles culpas; nanq; doloris
Sicùt amor pater eſt, eſt quoque gnatus amor.

Vir Nobilis, & vxor ignobilis
in principio vnanimes, tùm diſcordes.

DISTICHON.

IAm ſibi concordes, ſibi iam pugnare videntur:
Inter inæquales pax nequit eſſe diù.

Diuini Verbi Incarnatio.

DISTICHON.

DIſſimili culpam vè pœná ſoluat; Adami
Vt reparet lapſum, labitur Axe Deus.

Ad peccatorem occultum,
publicæque inhiantem pœnitentiæ.

DISTICHON.

QVi clàm peccaſti, palàm cupis ipſe dolere?
Eſt ſolo meliùs teſte dolere Deo.

Exprimit DEO amorem ſuum Auctor.

DISTICHON.

INfinitus amor Deus es: cur diſpari amore
Te finitus amo? Te pare fac vt amem.

De

Digitized by Google

Ad D. Valerianum Serpontum,
Regium Extraordinarij Magiſtratûs Mediolani
Quæſtorem,
mentis verè illuſtriſſimæ, & doctæ;
affectûs verò
erga immaculatam B. V. M. Conceptionem
peculiariter addicti.

Deſpata, *Cupreſſus*.
De illa enim, in Biblijs Marianis, ex Eccleſiaſt. 24.
B. Albertus Magnus; immò Rom. canit Eccleſia:
Quaſi cypreſſus in monte Sion.

DISTICHON.

I*Ndicium mortis, cur Virgo vocata* cupreſſus?
Cauſa, quòd, vt tandem mors moreretur, fuit.

DE EODEM ARGVMENTO ALIVD.

CVpreſſus *Virgo, quæ Vita fidelibus extat?*
Non his cupreſſus; *ſed fuit illa ſtygi.*

De eiuſdem Beatiſs. Virginis tribulationibus;
quibus, quia non ceſſit, à B. Alberto Magno
Cypreſſus;
à S. autem Io. Bonauent. ſer. 2. de B. V. dicta eſt:
Virtutem habens adamantis.

DISTICHON.

SIn Cypreſſus *erat, quòd fortis paſſa dolores*
Eſt? an in his adamas *veriùs illa fuit?*

ALIUD DE EADEM,
præcipuè, vt *adamas* appellata eſt.

(ſparſa,
V*Irgo* adamas *dicta eſt; ſed, vt Agni ſanguine*
Nullæ eius partes integritate carent.

In loquacem, ſed nullius hominem cordis.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Briareus, aliàs lepus.

T*E benè cognoſco: verbis* Briareus *es; actis*
Innumeris aliàs noſceris eſſe lepus.

DE EODEM ALIUD.

P*Roÿcis ampullas è gutture, corde paueſcens:*
Tigris in ore, patens ſi ſit arena, lepus.

De multis alicuius optimi Viri diuitijs.

DISTICHON.

N*On miror, quod opes illi cum ſtirpe perennent:*
A Virtute ſuâ hæc parta fuere bona.

De quodam Aulico.

DISTICHON.

D*Ecidit vndè gradu, fuerat qui firmus in Aula?*
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.
Ex Boetio de conſol. Phil. lib. 1.

De

De puero IESU in terris recentèr nato, maliſque, & bonis hominibus per ſydus Cæli demonſtrato.

DISTICHON.

Alluditur ad ſenſum S. Auguſtini ſer. 2. de Epiph. qui eſt 30. de tempore.

NAti ſtella Dei eſt index; veneremur vt illum:
Hæc terrore malos flectit; amore bonos.

In doloſum per inſidias captum.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Semel in laqueo vulpes.

MIlle aliȷ́s laqueos tua lingua, doloſe, tetendit:
Te vulpem in laqueo *ſufficit eſſe* ſemel.

De occulto detractore.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Canis clanculùm mordet.

DEtractor non frontem audet, ſed lædere tergus:
Sic ſolet inſidus clàm lacerare canis.

Patri D. Antonio Mariæ Terzago,
Clerico Regulari,
in Religioſis obſeruantijs,
aptèque dicendi arte ſtudioſiſſimo:
animabus ſanè grato, & vtili,
vt pluribus ſe præbuit in locis,
Mediolani verò in noſtra S. Antonij Eccleſia
iam per triennium.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Semper tibi pendeat hamus.

VIs piſcari animas? ſemper tibi pendeat hamus:
Nè prædam perdas, tu ſedeas, nec eas.

DE EODEM ALIUD.

VIs animas hominum piſcari; & reddere Cælo?
Eſt tibi ſemper *opus*, pendeat hamus, *amor*.

In exardentem irâ,
vt alterius iram exanimet.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Ignis non extinguitur igne:

F*Alleris*: haud ignis *feruenti* extinguitur igne:
Manſuetudo iras ſternit, vt vnda faces.

Geni-

Genitori ad iuuenem filium, illi mortem imprecantem.

DISTICHON.

TVrbato Genitor ſuccedat vt ordine natis,
Degener ò fili, non ſemel aſtra volunt.

SANCTVS CAIETANVS,
Clericorum Regularium Patriarcha, qua DEI, & Mundi cognitione fuerit prædictus?

DISTICHON.

QVæ fuit in terris, inquiris, vita Thienis?
Iſta fuit: Mundum noſcere: noſſe Deum.

Nobilitas ſine diuitijs, quarè à ſuo eſſe cadat?

DISTICHON.

NObilitas opibus viduata, cadaueris inſtar,
Reſpirare nequit; languida, fracta cadit.

Sancti Thomæ Aquinatis ad ſororem ſuam de cæleſti Beatitudine reſponſum.

DISTICHON.

GLoria Cælituum quæ ſit, ſoror anxia, quæris?
Vt mereare, ſtude: cùm potiere, ſcies.

Ad Problema
Faticoſorum Academiæ
Octauo Idus Martij, Anno MDCCI.

An in humano corde primus locus concedendus ſit Timori, an Spei?

D. Franciſco Martello,
Patriarchæ Hieroſolymitano,
ſacræ in alma Vrbe Conſultæ à ſecretis:
Prælato,
ob doctrinam, ob morum ingenuitatem,
ob exquiſita multorum annorum
præſtita Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruitia,
ter digno.

De Spe Theologica Virtute.

TETRASTICHON.

Alluditur ad dictum S. Auguſtini, & Doctorum aſſerentium:

Spes eſt certa expectatio futuræ Beatitudinis ex gratia Dei, & ex meritis noſtris.

Spes eſt æternæ expectatio certa ſalutis
Ex meritis noſtris, & bonitate Dei.
Eſt procul ergo timor, quando expectatio certa eſt:
In ſolâ incertâ re timor eſſe liquet.

ALIVD

ALIUD DE EADEM.

Alluditur S. Io. Chryſoſtomi effato, dumtaxàt:
Spes eſt audacia mentis de largitate Dei concepta, & habendi vitam æternam per bona merita.

SCire quid optatis? Spes eſt audacia, qua mens
Æternæ Vitæ fidit adire Domum.
Scilicèt in Chriſti meritis, operumque bonorum
Siſtit vbi ſperans; hîc timet eſſe timor.

DE EADEM DISTICHON.

Alluditur communi Theologicæ Definitioni, ideſt:
Spes eſt Virtus Theologica attingens Deum immediatè, tàm in ratione primi Efficientis, quàm in ratione vltimi Finis.

SPes habet vt Cauſam Finalem, ac Efficientem,
Numen: in humano corde timore prior.

De eadem.

DISTICHON ALIVD.

Alluditur ad aliam Deſcriptionem, nempè:
Spes eſt inclinatio ad futuram Beatitudinem, Dei auxilio, conſequendam.

NOnne timore carens inclinat ad eſſe beatum,
Auxiliante ſuo Spes aditura Deo?

ALIVD

ALIUD DISTICHON DE EADEM.

Allud. ad aliam Figuram efformatam, nimirùm: *Spes eſt Virtus circa bonum ſupernaturale creditum.*

ARdua ſunt obiecta Spei: Fide at illa pererrans,
Spes priùs ingreditur, quàm ſubit ima timor.

De eadem

ALIVD DISTICHON.

Alluditur ad id, quod dixit Io. Gerſon. p. 4. ſer. de S. Nicolao: *Spes eſt ſalutis anchora.*

HIc ſi ſtat noſtræ Spes anchora tuta ſalutis;
Noſtra in naue timor non habet ergo locum.

De primo Spei, & timoris naturalis in humano corde loco.

DISTICHON.

QVos animo foueo, vt referant mea carmina ſenſus:
Spe priùs ardet cor nobile, vile metu.

De eodem argumento.

ALIVD DISTICHON.

PRæcedatne timor, vel Spes in agendo, requiris?
Ad bona Spes prior eſt: ad mala verò timor.

ALIVD

ALIUD DE EODEM: & cauſa exponitur.

QVod reus interiùs figatur cuſpide culpæ,
Spe priùs horrificum concipit ille metum.

De eadem Spe naturali, benè ab aliquibus delineatâ ſic:

Eſt paſſio circa bonum arduum poſſibile:

ità Ariſtot. 1. eth. Boetius 1. de conſol. metro 7.

EPIGRAMMA.

In quo oſtenditur Spes primum locum in iuuenibus obtinere; in ſenibus verò timor.

Et putatur huic fauere Ariſtoteles opinioni; maximè, cùm in Problematum ſectione xxx. dicat:

Senectus parùm ſperare poteſt: iuuentus Spe plena eſt.

COr iuuenile priùs Spes occupat, indè ſenile:
Cor ſenis antè timor, quàm iuuenile tenet.
Edocet hoc totum nos experientia: nam Spes
Antè ſubit iuuenes: & timor antè ſenes.
Nimirùm, queis vana manet mens, Spes alit illos
Primo lacte: ſenum corda verenda timor.

TE-

TETRASTICHON

Quo, vt prior naturali Spe, in humano corde, timor commendatur.

HÆc pro Spe: primus quanuis locus eſſe timoris
Poſſit; cùm ſperet, quò mage quisque timet.
Vt pater immò Spei timor hanc gremio excipit ortã,
Amplexatur, alit, reſpicit, ornat, amat.

Ad D. Abbatem D Franciſcum Puricellium, ſacræ Theologiæ Doctorem, *Academicum Faticoſum*, Il Pigro: de ſupradicto difficili Problemate præclariſſimum Oratorem.

EPIGRAMMA.

SIt licèt, haud rarò, verum, quod pectore in vno
Alternent propriam Spesque, timorq; fidem.
De Te, Puricelle, mihi præcordia nunquàm
Oratorne fores ? tacta fuere metu.
Noui, quàm ſapidâ valeas dulcedine lingua:
Quàm vigeat menti pulchra Sophia tuæ.
Me conſtans aluit Spes: quòd tua dictio multùm
Eſſet huic docto grata futura Choro.
Et fuit egregiè: timor exulet omnis: ad omne
Magnum quisquis Opus te canit eſſe parem.

Vbi

Vbi
D. Theobaldus Maria Vicecomes,
Ciſlaghi Marchio, &c.
Filius vnicus
Patri ſuo, & Matri ſuæ:
D. Cæſari Marchioni, ac Comiti Gallarati,
Velleris aurei Equiti, Hiſpaniarum Magnati; &
D. Tereſæ Serræ Coniugi, &c.
in Faticoſorum Academia;
cui ſummoperè addictus erat,
Octauo Idus Martij, Anno MDCCI.
complangebatur,
vtpotè inexpectatâ morte
maximæ expectationis adoleſcens,
decem enim, & nouem tantùm annos natus,
Quartò Calendas Martij exceſſit:
Seraphico P.P. Capucinorum indutus Habitu,
Eorundemque ſacratiſſimam profeſſus
Regulam.

DECASTICHON.

Moeſta, Faticoſi, Theobaldo Elegia parentet,
Quem flent Inſubres, Caſtalidumque Chorus.
Nobilitatis erat flos, & Virtutis auitæ:
Noſtræ præſidium, Pyramidiſque decus.
Læta ſibi Pallas ſedem ædificarat in illo:
Trinaque in illius moribus, ore charis.
Se Cælo natum agnoſcens, terrena repellit;
Funeque Franciſci Vota in agone ligat.
Sic prudens Serpens, *ſimplexque Columbula, terræ*
Prodijt è latebris; & ſuper aſtra volat.

Feli-

Feliciſſimus eiuſdem D. Marchionis obitus hoc Anagrammate pronunciatur.

Programma.

THEOBALDVS MARIA VICECOMES.

Anagramma.

CEDE, ABI, O HEROS IMMACVLATVS.

DISTICHON.

DElicias, luxus, Hymenæos, deſere pompas:
Cede, *hinc* ò Heros immaculatus abi.

In morte
ipſiusmet D. D. Theobaldi Mariæ Vicecomitis, Ciſlagi Marchionis, Hiſpaniarum Magnatis, &c.

DISTICHON.

SI numeres annos, iuuenis Theobaldus obiuit:
Si merita inſpicias, & benè geſta, ſenex.

DE EODEM ALIUD.

ANnos haud vixit paucos Theobaldus: eorum
Nè numerum numeres; ex bonitate puta.

ALIUD DE EODEM.

Tàm benè viuẽti breue viuere cur datur? ah! nõ
Eſt breue: ſat vixit, cui bona vita fuit.

DE EODEM ALIUD.

MOrs rapit in prima quamuis hunc flore iuuenta,
Maturus terræ fructus, eratque Polo.

ALIVD

ALIUD DE EODEM.

INuida Parca tuæ præſcidit ſtamina vitæ;
Immortale at adhùc Gloria texit opus.

DE EODEM ALIVD.

QVo nō dignus erat Mundus, Cæli Aula potitur:
Iure flet hinc tellus; gaudet vt indè Polus.

ALIVD DE EODEM.

MOrtuus eſt nondùm terris Theobaldus: honorem
Laudantis vitam poſteritatis habet.

De eodem Subiecto.

EPIGRAMMA.

HEu, heu! quo raptus Fato fuit illicò noſter,
Et Mediolani tàm benè cultus honos!
Non Fato raptus fuit ille: volauit ad Axem,
Qui vitâ in terris Aliger Axis erat:
Aliger è Seraphim fuerat quòd & Ordine: ſacra
Hinc Seraphim ſecum ſigna migrando tulit.

Ad illud Canticorum 2. de Chriſto.
Ego flos Campi.

DISTICHON.

VIrtutum fructus noſtris ſperemus in hortis;
In terris quando floruit Axe Deus.

Reſ-

Digitized by Google

Reſpondetur ad amici interrogationem.

DISTICHON.

QVem ratio, non ira mouet, vis ſcire, quis ille eſt?
Eſt homo cæleſtis: proximus immò Deo.
Ex Claudiano in Conſul. Manlij Theod.

De ſenioris boni conſilio ad iuniorem.

DISTICHON.

A Te conſultor bonus obſeruetur, ametur:
Talis apud veteres Vir, ſacra res fuerat.

MARIA VIRGO
ad vltimam IESV Chriſti Cœnam non admiſſa,
nè tàm digna ſumptio, inquit Origenes,
Chriſti mortem dulcoraret.

DISTICHON.

A Cœna cur Mater abeſt? Nè redderet alma
Et Matri, & Gnato ſumptio dulce pati.

In Equitem, luxuriæ alioquin deditum,
dicentem:
Turpe eſſe, à muliere vinci.

DISTICHON.

DEdecus eſſe viros, reputas, quod fœmina vincat?
Te Venus & vincat dedecus eſſe putes.

Ad

Ad Marchionem
D. Georgium Theodorum Triuultium
è ſexaginta Patriæ noſtræ Decurionibus:
Equitem,
illuſtriſſimo pluſquàm Sanguine,
in res ſacras pietate illuſtrem:
affectu autem longè illuſtriorem
erga B. V. M. immaculatè Conceptam.

Quarè Paſtores ad Chriſti Natiuitatem
primi accurrunt?

DISTICHON.

PAſtores reliquis meritò venère priores:
Agnus vbi in terris Ætheris ortus erat.

Naſcitur IESVS in ſtabulo;
bosque, & aſinus eum agnoſcunt.

DISTICHON.

UT Paſtor defendat oues, ad Ouile migrauit;
Agnoscuntque ſuum bos, aſinusque ducem.

De eadem Natiuitate ibidem, noctis tempore.

DISTICHON.

PErditā ouem quærens, ante omnia, luſtrat Ouile;
Nouit, quod noctù ſtent ibi, Paſtor, oues.

Reſpondetur circa terrena bona ad amicum.

DISTICHON.

(di:
VEranc ſunt, quæ prætereunt bona ſplendida Mū-
Sunt ea, quæ durant, vera putanda bona.

Super verba Io: 20. 14. de S. Maria Magdalena.
Vidit IESVM ſtantem, & non ſciebat, quia Ieſus eſt: dicit ei Ieſus, quem quæris? illa exiſtimans, quod hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum?

DISTICHON.

(quæris:
NOnne vides? manet ante oculos, quem Magdala
Me ducit cæcum, parcite, cæcus amor.

Chriſtus hortulanus ad S. Mariæ Magdalenæ cor.

DISTICHON.

(tum:
MAgdala chara, tuū venias properantèr in hor-
Arentem flammis fronte rigato tuâ.

In quendam felicem, pro virili ſe celebrantem.

DISTICHON.

NE forti iactes te corde valere, ſodalis:
Sors, vel vile, poteſt reddere forte bona.

De

Digitized by Google

De alicujus pulchritudine corporis, & animæ.

DISTICHON.

ERras, ſi credis, delecter imagine formæ:
Non, quod cerno bonum, quod latet, illud amo.

IESU caput ſpinis vndique transfixum.

DISTICHON.

QVid ſibi, Chriſte, volunt capitis tot vulnera? mõ-(ſtrant,
Quot Genus in noſtrum ſit meditatus Amor.

DE EODEM ALIVD.

AN magis Hebrææ pungunt tua tempora ſpinæ?
An mage peccatum, Rex terebrate, meum?

Sententia S. Hieronymi in Epiſt.
Quid miſerius miſero non miſerante ſe ipſum?

DISTICHON.

QVid mage ſit miſerum miſerabili in Orbe, requi-(ris?
Nil magis eſt, quàm ſe non miſerante miſer.

In mercatorem lucri auidiſſimum.

DISTICHON.

NE lucra ſecteris non congrua: talia nanque
Lucrantis damno cedere lucra ſolent.

Ad D. Octauium Baldironum,
Abbatem, &c.
ingenio, literis, Virtutibus
præſtabilem,
erga immaculatam Deiparæ Conceptionem
Mæcenatem præſtabiliorem.

De puriſſima Beatiſſimæ Virginis MARIÆ
Conceptione.

DISTICHON.

CVncta mala Adamus, pro malo, ex arbore traxit:
Nulla MARIA mala ex arbore traxit Adam.

Aliud de eodem Argumento.

E Læſo generatur Adam ſine labe MARIA:
Vt quandoque malâ ex arbore poma bona.

Ad Beatum Andream Auellinum Cleric. Regul.
dæmonum, & impudicarum mulierum
inuictum ſemper victorem.

DISTICHON.

Diabolus à D. Petro Apoſt. ep. 1., & SS. alijs PP.
Leoni aſſimilatur.

GLoria magna tibi, ſtygios ſuperaſſe Leones;
Maior at impuras te ſuperaſſe lupas.

Cui-

Cuidam conſilium.

DISTICHON.

POſſideas quæ certa tenes: incerta relinque:
Incertis inhians, perdere certa potes.

In Iudam Iſcariotem,
ab accepta SS. Euchariſtiâ,
ſe ſuſpendentem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Doctoris Angelici in *Sequentia*:
Mors eſt malis, Vita bonis.

SVmpſit vbi Vitam, mortem ſubit illicò Iudas?
Eſt ſacra eſca malis mors, *vti* Vita bonis.

De nonnullo Auctoris amico.

DISTICHON.

IN magno, fateor, pretio meus eſt mihi amicus:
Æquus, & æqualis nam mihi ſemper adeſt.

Cuidam pauperi
opum copiam, vt quieſceret, deſideranti.

DISTICHON.

TAm ſine, quàm cum diuitijs, eris absq; quiete:
Non datur in terris; ſed ſuper aſtra quies.

Cùm
D. Petrus Hercules de Bellois I. U. D.
inter Faticoſos Academicos
L' INFATICABILE,
Sapientiam
Patris D. Caroli de Palma
Clerici Regularis
Quadrageſimali curriculo
Epochæ ſalutaris MDCCL
in noſtro Antoniano Templo Mediolanenſi
Concionantis
hinc ſuauitèr fragrantem,
hinc neruosè declamantem
bino Anagrammate
pulcherrimè delineauerit;
ad æternam vtriusque eximij Viri memoriam
idipſum hîc ſtatuo.

Programma.

CAROLUS DE PALMA.

Anagramma I.

CVM PALLADE ROSA.

In

In idem Anagramma

DISTICHON I.

NOn Roſa cũ ſpinis riget; at cum Pallade floret,
Dogmata cùm Chriſti nos tua lingua docet.

DISTICHON II.

NOn *tua* cum *minio Veneris*, ſed Pallade *ſplendet*,
Cùm Templum Antonij replet odore Roſa.

Anagramma II.

CVM PALLADE ORAS.

In hoc Anagramma

DISTICHON I.

NOn *cum blandiſonis Patriæ ſirenibus* oras;
Pallade *ſed pœnas* cum *minitante reis*.

DISTICHON II.

NOn oras *Iouis ex cerebro* cum Pallade *nati*;
At quæ de veri prodijt ore Dei.

Senſuales impetus non trepidanti.

DISTICHON.

NE *fidas, quòd adhùc ſtes: quercum haud deijcit vnus*
Ictus; multiplici ſed cadit illa ſolo.

Beatæ Claræ à Cruce: vulgò da Monte Falco, è ſacro Sancti Auguſtini Ordine, dictum:

Seclusâ culpâ, omnia in Mundo ſunt bona.

ità apud Magiſtrum Torelli, in Sæculis Auguſtin. tom. 5. Relig. anno 922.

DISTICHON.

NVllum terra malum patitur, ſi tollitur unum:
Præter peccatum, quidquid in Orbe bonum eſt.

De Fiſco, & viſco.

DISTICHON.

FIſcus idem, viſcusque ferè ſunt nomine, & actu:
Aucupat alter opes: aucupat alter aues.

Ad D. Matthæum Franciſcum de Roſales
Caſtri Leonis Marchionem,
Roſæ Dominum, &c.
è ſexaginta Mediolani Decurionibus:
Faticoſorum Academiæ Proprincipem, &c.
Poetam Latinum acuminatum,
& roſeum.

DISTICHON.

SEmper habere roſas: te ſemper acumen habere,
Quis miratur? habes, quæ tibi ſunt propria.

Sua-

Suadetur fratribus concordia.

DISTICHON.

Alluditur ad Sciluri Scythiæ Principis admonitionem: octoginta enim genitis ſuis, vinctum priùs iaculorum faſcem frangendum: ac deindè ſolutum offerens; cùm illum frangere non potuiſſent; & hunc, abſque difficultate, fregiſſent, ait illis: En, filij mei, quæ iuncta non poterant, ſoluta franguntur; ità, quamdiù vos concordia iunxerit, nemo vincet; diſiunctos facilè quiuis ſuperabit.

SCiluri monitum eſt: nequeunt quæ iuncta; ſoluta
A quauis frangi debiliore manu.

Ad ſenem cadentem.

DISTICHON.

OMnia fert ætas, *referunt Prouerbia; at errant,*
Cùm modò non poſſit te tua ferre ſenem.

Epitaphium mulieri odoriferæ, & potatrici.

DISTICHON.

QVæ ſemper redolebat, olet: tumulata ſepulchro
Eſt & in hoc, ſemper quæ temulenta fuit.

Ami-

Amico
de terrarum Orbis rebus.

DISTICHON.

NIl ſtet in Orbe ſtupes terrarum? ſcito, quod Orbis
Sphæricus eſt: ideò, quidquid in Orbe, ruit.

DE EODEM ALIUD.

TErra ſtat; at motu terra omnia perpete vertit:
Non eſt ergo tua terra quies animæ.

Litem intentanti.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
lis litem parit.

SI litem moueas, liti diuturnior ætas,
Quàm tibi, erit: litem lis ſine fine parit.

De Lege.

DISTICHON.

LEx ideò ſic dicta, ligat quia ſubdita corda;
Nè in mala præcipitent; ſed bona firma ferant.

De

De Rege, & lege.

DISTICHON ÆNIGMATICUM.

VI.

REx, & Lex ſunt ſex: ſi ſex tamen ambo carebunt;
Crede mihi: Rex, Lex, Nomen inane gerent.

Deipara, *Aquila*
ex Riccardo à S. Laurentio lib. 18. de laud. B. V.

DISTICHON.

VIrgo Aquila ad Solis radios; ipſa auſpice, partus,
An ſint ingenui, degenereſue, probat.

Quidam, vltrà vires hæreditatis, conſtituens legata.

DISTICHON.

QVid miſer, vt diues, legata opulenta relinquis?
Hæredem poterit nemo citare tuum.

Ad Prouerbium tritum:
Sui cuique mores fingunt fortunam.

DISTICHON.

CVique ſui mores, ſi poſſunt fingere ſortem;
Eſt propriæ ſortis quilibet ergo faber.

Ad

Ad quendam,
ſe pauperem in ſummo aſſerentem.

DISTICHON.

Alluditur ad id Senecæ cap. 6. lib. de Prouidentia,
vbi ait:
Nemo tàm pauper viuit, quàm, cùm natus eſt.

MAgna tibi nunc eſt; fuit hæc in origine maior;
Maxima paupertas, cùm morieris, erit.

De amoris flammis.

DISTICHON.

Alluditur ad Poeticum Prouerbium:
Nutritur vento, ventoque extinguitur ignis.

NUtritur vento, ventoque extinguitur ignis:
Non ſecùs orbus obit flamine amoris amor.

Ad miſerrimum, virtute attamen excellentem.

DISTICHON.

TE colo, quantumuis laceris in veſtibus adſis:
Quippè quòd eſt Virtus ter pretioſa tibi.

DE EODEM ALIUD.

COntentus Virtute tuâ, non pauper vt Irus;
Ditior at Cræſo, Vir celebratus eris.

AD

AD SANCTVM CAIETANVM, Clericorum Regularium Fundatorem, in dæmones potentem.

DISTICHON.

TE pauet, atque fugæ ſe ſe committit iniqua
Styx: quòd victorem te ſciat eſſe ſuum.

Impiorum conſiliorum exitus.

DISTICHON.

SVnt mala conſilia incauto perſæpè clienti;
At Conſultori peſſima ſemper erunt.

ALIUD DE EODEM.

QVæ peruerſus homo malè ſuadet, inania reddit
Non rarò; punit ſemper at illa Deus.

Amico.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Nè quære mollia; nè tibi contingant dura.

QVæ tibi ſors defert, ſuffer; nè mollia quære:
Nè Fortuna magis dura ferenda ferat.

Inter-

Digitized by Google

Interrogatus Auctor à Viro quodam literato,
ſed corpulento, num ſaluaretur?
ei reſpondit per ipſa S. Gregorij Nazianz. carmina,
elegiâ 2,
Alluditque ad illud Matthæi 7.
anguſta porta, & arcta via eſt,
quæ ducit ad Vitam.

DIſtentas carnes, & grandi pondere ventres
Porta peranguſtæ non capit arcta via.

Effatum
Ferdinandi II. Cæſaris Auſtriaci de Hiſtoricis.

DISTICHON.

QVid pennæ de me ſcribant, non curo; ſed illud,
Quod facio: an coram Numine præſtet opus?

Seu de eodem aliud.

QVid de me ſcribant, calamos non curo profanos;
Sed quæ ſcripta Dei ſunt mea geſta Libro.

Nobilitas ſine opibus.

DISTICHON.

NObilitas ſine diuitijs eſt Regius Ales,
Qui careat pennis; indè volare nequit.

Ad

Ad eſcam pietatis
IACOBI ANTONII MORIGIÆ,
Archiepiſcopi dudùm Florentini,
mox S. R. E. Principis,
Presbyteri Cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ,
S. Mariæ Liberianæ Archipresbyteri,
Papiæ Epiſcopi, &c.
humanarum, diuinarumque literarum
ſingularis omninò Ornamenti.

IESUS CHRISTUS in Horto Gethſemani
factus in agonia. Lucæ 22.

ELEGIA.

Heu, quæ iucundo miſeranda Tragædia in Horto
Siſtitur! inuiſi tempora Veris eunt!
Sol remeans Cælum, ſupero deſcendit ab Orbe,
Virgulta eripiens inter amœna diem!
Fulgidius Sydus, tetris vel noctis in umbris
Mortales aptum lætificare, gemit!
Quin languet, mutatus, humi, immutabilis, Axis
Sol! vt in horto flos, languidus ecce cadit!
Quodq; magis doleo: Deus eſt, qui languet; acerbi
Cauſaque languoris ſolus amatus homo eſt.
Impietas humana Deum, cui plena poteſtas
Empyrei ciues luce beare ſuâ,
Vertit in horrorem: qui iam caligine cinctus
Circuit; & gelidus concutit oſſa tremor.
Præ cunctis hominum ſpecioſior: omnibus aſtris
Pulchrius: immenſus Splendor: Imago Patris,
Inter ſanguineas agitatur, turpe, procellas:
Iudicis, Ecce, *fide, vix reputatur* Homo!

Sci-

Digitized by Google

Scilicèt, vt crimen, quod Adam commiſit in Horto,
Alter in Horticulo ſanguine purget Adam:
Quique erat æternus, ſub tempore duceret annos;
Atque immortali ius Libitina daret.
Quidquid inhumanum feritas humana coegit,
Vult Deus, aſſumpto corpore, factus homo.
Accipe inauditi portenta, Viator, amoris!
Compulit attritum fata ſubire Deum.
Quæ lacrymoſa nouo ſpectacla videmus in Horto!
Floribus haud ridet: fletibus iſte riget.
Vos precor, Aligeri, triſti qui fronte volatis,
Vnde dolor fontem, pandite, veſter habet?
Dicite vos noſtro per mœſta ſilentia cordi:
Veſtræ quæ menti cauſa doloris ineſt?
An, quod Amor Cæli fuerit delapſus ab Alto?
Cæleſtes Proceres, vos dolor indè coquit?
Vos vos, Aligeri, lacrymis, qui fletis amaris;
Huncque Hortum è frontis fonte rigatis aquis,
Dicite, cur tantus mæror vos occupat? abſit
An quod ab Axe Deus? vos nec, vt antè, beet?
Vel, quod tanta pati Cæli videatis Amorem?
Semper ferre nouas, & ſine fine, Cruces?
Hic veſtro ſine damno habitat, ſuæ Imaginis Auctor
Captus amore: moras hic ſub amore trahit.
Non peccatorum Mundi mala plurima pœnæ
Plus torquent; ſed adhùc plus pateretur amans.
Sæuiùs haud feriunt nos hæc ſæuiſſima mortis:
Quæ tormenta Deum non lacerare ſinunt:
Tot mala non ſummo perfundunt noſtra dolore
Ima: Orbis Dominum nec magis excruciant.
Humanam ſumpſiſſe Deum carnemq;, dolorumque,
Ingentem ſeriem: damna parentis Adæ:
Huc veniſſe beantem omnes, vt & æquor inundans
Lætitiæ, vndiſluæ ſit mare triſtitiæ:

Digitized by Google

Hæc ſatis eſſe Deus nollet, ſi grata probaret
Corda humana: pati nam ſibi dulce foret.
Maxima noſtrorum cauſa eſt, & origo dolorum;
Quod Deus ingratum te patiatur, homo.
Vt redimaris, homo, tot fert; moriturq; Redemptor:
Retribuis quid, homo, pro moriente Deo?
In noua te, fuſo pro ſanguine, crimina mergis;
Et peccando nouas vis fabricare Cruces.
O ingrata nimis generatio! nulla per æuum
Perfidia, impietas, parue tyrannis erit.

Quarè Spiritui Sancto è Regij Prophetæ labris etiam canere placuit? & ab Eccleſiæ Sponſæ ſuæ ore carmina fundi?

DISTICHON.

Alluditur ad aureum illud S. Ioannis Chryſoſtomi documentum, hom. in Pſal. XLI. vbi inquit:

Nihil animam æquè erigit; & alatam quodammodò efficit; & à terra liberat; & exoluit à vinculis corporis; & amore ſapientiæ afficit; &, ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut verſus modulatus, diuinum Canticum numero compoſitum. &c. Tùm præcipuè de Pſalmis ſubdit: *Pſalmos Deus conſtruxit; ut ex ea re ſimul caperetur voluptas, & utilitas.*

Dauidis ore dedit Pſalmos Deus; vtile vt inde
Inde voluptatem ſumere poſſet homo.

Digitized by Google

Detractoris lingua
tres, præter Deum, vnâ murmuratione ferit:
ſe: audientem: & illum, cui detrahit:
Argumentum,
quod Feria IV. poſt Dom. III. Quadrageſimæ,
magno cum plauſu, demonſtrauit
inſignis Concionator,
in Eccleſia noſtra Sancti Antonij Mediolani,
Anno MDCCI.
P. D. Carolus de Palma Neapol. Cler. Reg.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum S. Bernardi Abbatis
ſerm. de tripl. cuſtodiâ manûs, linguæ, & cordis,
in quo habet:
Nunquid non lancea eſt lingua? profectò & acutiſſima: quæ tres penetrat vno ictu:
lingua inquit eorum gladius acutus. Pſal. 56. 5.
gladius equidem anceps, immò triceps
eſt lingua detractoris.

VNo detractor tria vulnera figit in ictu:
Præbenti aures: cui detrahit; atque ſibi.

MOMENTVM,
A QVO PENDET ÆTERNITAS.

DISTICHON.

DEpendent à momento momenta ſalutis
Æternæ: nobis quot per inane volant!

Co-

Comiti, & Abbati
D. Manfrino Caſtillionæo,
Iuris Conſulto Collegiato,
nec non Metropolitanæ Mediolani Eccleſiæ
Canonico Ordinario:
pietate præcipuè exculto
etiam, atq; etiam erga Beatæ Virginis MARIÆ
Immaculatam Conceptionem.

Beatiſſima Virgo MARIA
ab Hugone à S. Victore ſerm. 34. à S. Bernardo
in deprec. ad Virg.: nec non à B. Hermanno
7. Aprilis apud Surium, ROSA appellata:
quo Nomine Eam ſolitus erat vocare
Raimundus Iordanus p. 14. c. 43.

DISTICHON.

TV Roſa, *cur Virgo? quia fructus an illius eſt* (*Flos?*
Ah! ità Flos *IESVS nam tibi* Fructus *erat.*

DE EODEM ALIUD.

CVm *Regina ſoli* Roſa *ſit, Reginaque Cœli:*
Appellata pari ſum ratione Roſa.

ALIUD DE EODEM.

SVm Roſa; *ſed careo ſpinis: cur Mundus IESV*
Figit eas intra tempora ſacra mei?

DE EODEM ALIUD.

SVm Roſa; *ſed Veneris non ſum maculata cruore:*
Sum Roſa *ſed veri tincta cruore DEI.*

De quodam Viro Nobili, ſed paupere, propè mortem liberali.

DISTICHON.

VT locuples, aurũ donas? vah! proximus, vt fax,
Extingui; maius lumen vbique vibras.

Amicis ſummoperè à Fortuna exagitatis.

DISTICHON.

Alluditur ad Senecæ Conſilium in libro de Prouid. cap. 6. vbi:

Contemnite Fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi, inquit Deus.

TEmnite Fortunam, cui prouida Regula Cæli,
Queis animum feriat, ſpicula nulla dedit.

De voluntatis inſtabilitate.

DISTICHON.

VOluitur huc illuc hominũ irrequieta voluntas:
Vnde à voluendo Nomen, & omen habet.

Ad amicum Virtute illuſtriſſimum, aduersâque ſorte repercuſſum.

DISTICHON.

Allud. ad D. Bernardi ſuper Cantica ſententiam, ſcilicèt:

Quomodò ſtellæ in nocte lucent, ſic vera Virtus; quæ ſæpè in proſperis non apparet; in aduerſis emicat.

CLarus in aduerſis, in proſperitate remotus,
Stella velùt ſplendes nocte, lateſque die.

Spes Auctoris de ſua æterna ſalute.

DISTICHON.

DAt Pater æternus Genitum; Genituſq; ſalutem
Vt mihi det, moritur: Vitam ideòque rogo.

Obſcœna libido.

DISTICHON.

FEx praui cordis non reddit lumen; at, iſtud
Extinguens, priuat cognitione boni.

DE EODEM ALIUD.

LVxurie ſic excæcantur pectora; nullum
Vt, præter Venerem, Numen habere velint.

Cuidam conſilium.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:

amicus cum vitijs ferendus eſt.

FAllitur, absque eius vitijs qui vellet amicum:
Ferre hunc cum vitijs dictat amicitia.

DE EODEM ALIUD.

CVm vitijs tolerare ſuis niſi poſſis amicum,
Lector amice, tibi nullus amicus erit.

Non officit ad æternam ſalutem noſtram, quod *ſimus in triuio.*

DISTICHON.

IN Triuio ſumus: *ad Cælos: Ergaſtula: & Orcum;*
Sed tutum Domini Gratia monſtrat iter.

Vindictæ ſectatori quænam permiſſa?

DISTICHON.

EStne vnquàm vindicta meo permiſſa furori?
Vindicta in vitium ſemper honeſta tuum eſt.

Ad

Ad D. Caietanum Dominicum Comitem Porrum, equitatûs ad Principis, & Gubernatoris Mediol. cuſtodiam armati
Ducem,
Magnanimum Equitem,
immò pluribus virtutibus fulgentiſſimum:
Sancti verò Patriarchæ noſtri CAIETANI,
eiuſque Inſtituti amantiſſimum.

DISTICHON.

Virtutes ornas, qui te Virtutibus ornas:
Sol tuus eſt Virtus: quæ tua pars? radij.

DE EODEM ALIUD.

Es celebris Virtute: gerit te Fama per Orbem:
Es tu maior ei gloria; an illa tibi?

Ad id, quod docebat Sanctus Thomas Aquinas, vt habetur in PP. Prædicatorum Chronicis l.3.c.33.

Religioſum hominem, ſine Oratione, militem eſſe, nudum, & abſque armis.

DISTICHON.

Religioſus homo, ſi non exercitus oret,
Miles vti nudus: miles inermis erit.

Digitized by Google

Verùm,
Ad Virtutem adipiſcendam,
inimicus nos, vel amicus plùs adiuuet?

Problema
in Faticoſorum Academia,
Nonis Aprilis, Anno MDCCI,
æquiſſimâ lance diligentèr æſtimatum.

E L E G I A.

D. Ranucio Pallauicino
Achati benigniſſimo:
Prælato,
ſublimiorum diſciplinarum, & Virtutum
excellentiâ præſtantiſſimo,
pro Summo Pontifice CLEMENTE XI.
in Vrbe Gubernatori, Vicecamerario, &c.

QVò magis horrifici ſunt fluctus æquoris; illos
Sæpè repercutiens nauta fit egregius.
Quò magis in caſtris eſt miles ab hoſte petitus:
Miles eò meliùs ſtrenuus arma regit.
Contra Oratorem criticus quò ſurgere ſueuit;
Orator ſueuit nonniſi culta loqui.
Quò magis in Vates vibrat inuida lingua ſagittas;
Hi, velùt Aligeri, ſuauiùs ore canunt.
Quò magis aduerſis Academicus ignibus ardet;
Ampliùs obrizâ Rhetoris arte valet.
Quò mage Scriptor habet cenſores; pondò retuſas
Tunc acuit pennas, ingeniumque rude.
Quò mage ſtant partes cõtrà; Togæ honore coruscãs
Ardua fert acri iura clientis ope.

Quò

Quò mage Cauſidici opponunt; mage ſingula pēdens
Iudex, dat recto pondere cuique ſuum.
Quò ſapientem hominē magis æmula turba laceſſit;
Ille per æthereos pergit amicus agros.
Marceſcit Virtus abſque aduerſario; at iſto
Aduerſante viret, pulchriùs atque viget.
Aſſecla ſi Chriſti careat truciore tyranno;
Martyrij ſpecie. Nobiliore caret.
Quò in terris agitant maiora pericula Sanctos;
Sanctior. ex iſtis quiſquis ad aſtra volat.
Cùmq; hæc non veniant ab amicis vlla; ſed auſu
Hoſtili; quali ex parte Problema cadet?
Præſenti in dubio haud dubius decernit Apollo;
Et pariles æquo fundit ab ore ſonos.
Eia, Faticoſi Proceres, mihi credite: amicâ
Plus ad Virtutem ſors inimica iuuat.

Ad ſenem à morte prorsùs abhorrentem.

DISTICHON.

Alluditur ad ſententiam apud S. Hieronymum lib. 3. ep. 9.

Poſſe mori iuuenem citò, res eſt vera; ſed æquè eſt
Vera, ſenem nullum viuere poſſe diù.

SEU.

Poſſe mori iuuenem probat experientia; nullum
Poſſe ſenem longè viuere, nemo negat.

Ad Marchionem D. Alexandrum de Putheo
conſtantis Equitem rectitudinis,
qui
morales animi Virtutes
cum illis, quæ ingenij ſunt, coniungens,
enixè in noſtram Faticoſorum Academiam
conuenit.

De eodem Problemate.

EPIGRAMMA.

In quo partes quodammodò conciliantur.

VT Virtute magis creſcamus: amicus, an hoſtis
Plùs ferat auxilij, noſtra Camæna petit?
Tota poteſt facili per nos ità carmine ſolui
Lis; adeò vt parti fiat vtrique ſatis.
Nos verus falſo iuuat ampliùs hoſtis amico;
Si verus tamen hic eſt, magis hoſte iuuat;
Sed quia vix aliquis verus reperitur amicus;
Ad virtutem hoſtis nos magis indè iuuat.

Ad Patrem D. Ioſephum Ianninum
Clericum Regularem,
Academicum Faticoſum,
L'EGVALE,
expertum prorsùs de eodem Problemate
Oratorem.

EPIGRAMMA.

PRo meritis, noſtrum, Iannine, Problema tuliſti;
Ornari poterat nec meliore ſtylo.

Gau-

Gaudeo, facundæ quod præſtes munere linguæ;
Et, quod doctrinâ flectere corda queas.
Acre tuum ſimul ingenium, & Problema probaſti;
Et, quarè vir amans nos magis hoſte iuuet.
En, Academiam ditans ſermone diſerto,
Quàm multùm iuuit Pallas amica tui!

Gratiſſimum hîc erit addere,
quod nobilis ſubſcriptus Academicus
ad eundem Patrem Oratorem ijs verbis direxit:

Ad Diuinæ Sapientiæ Tubicinem,
Mediolani Concionatorem,
in Academia Faticoſorum,
Nonis Aprilibus, Epochæ ſalutaris MDCCI,
Attico lepore perorantem,
hoc Anagrammate venerabatur
Petrus Hercules de Belfois I. U. D. Bononienſis,
Inter Faticoſos,
L' INFATICABILE.

Programma

JOSEPHVS MARIA IANNINVS.

Traiectio

SANA VERI NVMINIS SOPHIA.

DISTICHON.

NOn hic vaniloquæ blaterant, Inſubria, voces,
Numinis *at* Veri ſana Sophia *docet.*

Bona,

Bona, & mala, vt diuini amoris argumenta, ſuſcipienda.

DISTICHON.

(mittat:

SEmper amandus Amor, Deus, eſt: bona, vel mala
Proueniunt nobis cuncta: ab amore Dei.

De morte D. Cæſaris Vicecomitis in Senatu Mediolanenſi Regij Iudicis integerrimi, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultoris, &c.

DISTICHON.

QVi ius cuique ſuum tribuebat, reddidit illud
Morti: corpus humo dans, animamque Polo.

Beatiſſima Virgo MARIA
Salus Mundi.

DISTICHON.

Attenditur Riccardus à S. Victore cap. 26. in Cantica, vbi ait:
MARIA omnium ſalutem deſiderauit, quæſiuit, & obtinuit; immò & Salus omnium per ipſam facta eſt: vndè & Mundi Salus dicta eſt.

QVæſijt, optauit, retulitque MARIA ſalutem
Humano Generi, iure vocanda Salus.

ALIUD DE EODEM.

V*irgo* Salus Mundi, *baſis, & tutela redempti;*
Et niſi ſuſtineat, machina tota ruet.

Miles

Miles quidam non ſolitus vti clypeo,
poſt accepta vùlnera,
illum arripit.

DISTICHON.

MIles inermis erat: clypeũ poſt vulnera ſumpſit:
Hac rubor vt ſaltem poſſet ab arte tegi.

Prudentia alteri militi dictatur
per Prouerbium inermis militis vulnerati.

DISTICHON.

MIles inermis erat: clypeũ poſt vulnera ſumpſit:
Sume priùs clypeum tu; nec ineptus eris.

In quendam alicuius Viri boni amicitiam
optantem.

DISTICHON.

NOn erit ille tibi, potes hoc mihi credere, amicus:
Nam vitio Virtus nullibi amica fuit.

DE EODEM ALIVD.

COnueniunt nunquàm; nec fœdera pacis habebunt
Nigredo vitij, candor amicitiæ.

Cur ſuperbus
ad Fortunæ ſuæ mutationem non reſpiciat?

DISTICHON.

CVm ſedet in ſumma Fortunæ ſede ſuperbus,
Inſtabilem incautus non videt eſſe rotam.

ALIUD DE EODEM.

INflatos quia fert oculos leuitate ſuperbus,
Inſtantes caſus non videt ille ſuos.

SANCTI CAIETANI
Clericorum Regularium Patriarchæ
exempli vis.

DISTICHON.

CAIETANE, tuis patras miracula factis:
Impia quæ reperis, nam pia ſacla facis.

Amico.

DISTICHON.

QVid magis oblectet me, ſi vis ſcire, fatebor:
Ex Doctore Angelico.
Cùm benè percipio mente, quod ore lego.
Ex honeſta animi remiſſione.
Inter Caſtalides Religioſa quies.

Ad Marchionem D. Cæſarem Paganum,
Iuris Conſultum Collegiatum,
è ſexaginta Decurionibus,
nec non Regium Senatorem Mediolani,
Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultorem, &c.
omnigenæ Virtutis Euryalum,
maximè propenſum
ad noſtram Faticoſorum Academiam:
cui non ſemel deſiderauit intereſſe.

DISTICHON.

Virtutes vbi quæro tuas? has Fama recenſet,
Etſi non omnes: ferre tot vna poteſt?

Ad eundem Dominum
prudentiâ Virtutes ſuas cæteras
occultare ſtudentem, aliud.

Attamen è tot ego conſtans narrabo: quod in te
Virtutes reliquas rara ſit vna tegens.

Stultos loqui vera: Prouerbium Angliæ.

DISTICHON.

Anglia ſi ſtultos verum proferre fatetur,
Stulta eſt: vel falsâ nititur ipſa fide.

Auctoris affectus ad Chriſtum Dominum.

DISTICHON.

Pro tui amore, nihil fierem, IESV optime: pro me
Cùm ferè deſieris tu, Deus, eſſe Deus.

Ad

Ad Comitem
D. Dionyſium Caietanum Filiodonum,
vt Nobilitate, Virtutum theoriâ, & praxi
conſpicuum:
Fatigoſorum Academiæ exercitiorum
amicum.

Quid ſimiles nos Deo faciat?

DISTICHON.

Alluditur ad illud Demoſthenis interrogati:
Quid Deo ſimile haberent homines?
ac reſpondentis:
Benignè facere; & Veritatem amare.

TVnc homo ſe ſimilem eſſe Deo iactare valebit,
Quando veridicus: quando benignus erit.

Ad vulgaria Adagia
Tempus omnia vorat: tempus omnia habet.

DISTICHON.

CVncta volens, nihilumq; vomens; vorat omnia (Tempus:
Et nil reſtituens, omnia Tempus habet.

In fucatiſſimam ſponſam.

DISTICHON.

NEc verum credent homines tibi, ſponſa, loquuti,
Cùm ſis in quauis parte referta dolis.

Ad

Ad Faticoſorum Academiæ Problema,
ſeptimo Idus Iunij, Anno MDCCI.
Vtrùm, paucis vti verbis, ſit intelligentis;
vel neſcij magis hominis veſtigium?

EPIGRAMMA.

D. Thomæ Schiaræ,
Clerico Regulari,
Sancti Officij in Vrbe Qualificatori,
eloquentiâ, & doctrinâ optimè pollenti.

AN ſapientis opus mage ſit depromere verba
Pauca; rudis vel ſit mage, Muſa petis?
Diſtinguit Pallas: cùm paucis dicere oportet,
Ignari eſt: multis ora mouere ſonis;
At quando multis opus eſt exponere ſenſum
Verbis; ignarus tunc homo pauca facit.

Ad D. Franciſcum Inſulam,
Faticoſum Academicum,
L'ARTIFICIOSO;
cui inſignes contulit Minerua ſplendores:
quique delicatè circa ſuperius Problema
diſſeruit.

EPIGRAMMA.

MVlti hominum, ſcimus, quod multis pauca loquuntur:
Ex illis Nomen quis ſapientis habet?
Nouerunt alij paucis effundere multa:
Hos canit vt claros inclyta Fama Viros.
Ex iſtis es Tu, rerum, fandique peritus,
Inſula: *dixiſti plurima, pauca loquens.*

Ad Patrem D. Franciſcum Belgioioſum,
Clericorum Regularium,
Galliæ Ciſalpinæ Viſitatorem,
inſignem æquè, & vniuerſalem Concionatorem.

DISTICHON.

Belgioioſe ſapis, plures, & plura docendo:
Nam ſapiens, ſapiens pluribus, ille ſapit.

De quodam peccatore ſua delicta deflente.

DISTICHON.

Peccauit: nouit culpas: lacrymisque rigauit:
Fontem quippè ſui repperit ipſe mali.

Quis magis ſapiens?

DISTICHON.

Alluditur ad Cleobuli Lindij
vnius è ſeptem Græciæ Sapientibus effatum,
nimirùm:

Multos libentiùs audias, quàm ipſe multa loquaris.

Est magis hic ſapiens, qui multa libentiùs audit;
Quàm cui ab ore ſuo reddere multa libet.

Cur

Cur Beata Iuſtina Virgo Mediolanenſis
S. Auguſtini Inſtituti Monialis,
poſt tabificam, & duram
triginta annorum ægritudinem,
pro Chriſto fortitèr, amantèrque toleratam,
Martyrij Aureolâ donatur?

DISTICHON.

Alluditur ad Doctoris Angelici doctrinam
2. 2. q. 124. art. 5.

Hinc mihi palma viret manibus, quia paſſa tot annos
Ex Virtute; decus Martyris obtinui.

Amor, qui è ſola terrena pulchritudine ortus.

DISTICHÓN.

Languet amor pulchræ veniens ab imagine forma:
Non etenim Virtus eius origo ſubeſt.

Cuidam ciui
Patriam ſuam non admodùm celebrem
temnenti.

DISTICHON.

Stultus es, ô ciuis, Patriam ſi ſpernis: an ipſum
Te non ſpernis, eam ſpernere quando putas?

Dictum Iulij Clari 5. ſententiarum :
Qui offendit legem , offendit Regem.

DISTICHON.

NVminis offendens legem te offendere Numen,
Scito : quòd emanet Numinis illa iubar.

Sancta Sophia mater Sanctarum Virginum Fidei , Spei , & Charitatis.

DISTICHON.

DOcta Sophia ſophos tot humo det ; grandius hoc (eſt :
Tres det humo, & Cælo Sancta Sophia ſophas.

Auarus , & pauper.

DISTICHON.

QVærit inops obolos : multas perquirit auarus
Diuitias : miſero plùs an auarus inops?

De Petri N. ſenis , & Pauli N. iuuenis crinibus.

DISTICHON.

ERgo ſeni flaui , cani iuuenique capilli
Sunt ! quarè? fictos vnus , & alter habet.

N. N. omnes, ob Virtutem, laudes refutanti.

DISTICHON.

LAudibus es multis dignus : quaſcunq; recuſans ,
Maiorem quauis te mihi laude probas.

Ad Deum Auctor
pro ſua à peccati exilio acceptâ liberatione.

DISTICHON.

QVæ pietas! vt liber eam, quis? homuncio: magnus
Tu, Deus, exilio plecteris ergo meo!

MARIA VIRGO
effecta eſt *Mater DEI, Paradiſi Scala,*
Ianua Cæli, &c.
ex S. Laurentio Iuſtiniano ſerm. de Annunc. B. V.

DISTICHON.

VIrgo Dei *eſt* Mater, Paradiſi Scala: Polorum
Porta: *Deus non eſt: plena ſed ipſa Deo eſt.*

Amico ab amicitiæ lege plurimùm aberranti.

DISTICHON.

NOn ſecùs àc Pyladi iam te mihi credidi Oreſtem:
Non expectato vulnus ab hoſte tuli.

In malè ſemper ſuſpicantem.

DISTICHON.

SVſpicio te ſemper agit mala: ſemper in illud,
In quod propendes, ſuſpicione cadis.

DE EODEM ALIUD.

IN tua reſpice, de noſtris cùm ſuſpicis, acta;
Et nihil aſpicies, quo mea deſpicias.

 De

De iniquorum honoribus, & felicitate.

DISTICHON.

INdigno conceſſus honor clariſſimus? hæc ſors,
Non digna inuidiâ eſt; digna ſed eſt lacrymis.

Ad L. Annæum Senecam ſuper id epiſt. 2.
Nusquàm eſt, qui vbique eſt.

DISTICHON.

SI te noſſe Deum vis credam, dicito: vbique
Eſt Deus: eſt præſens: eſt & vbique potens.

ALIVD.

QVa ſiſtat ratione Deus vis noſcere? nuſquã eſt.:
Scis, cur ſit nusquàm? quòd ſit vbique Deus.

S. Thomas Aquinas ad ſororem ſuam reſpondet, vt in Chronicis ſacri eiuſdem Ordinis recenſetur.

DISTICHON.

CVra, ſoror, quænã tibi maior habenda, requiris?
Expediam paucis: vt moriare benè.

Defenditur figulus.

DISTICHON.

EX rota, & vrceolo figuli te noſce, Viator:
Inſtabili, & fragili conditione ſatum.

Aliud

Aliud ad ciuilis hodiernæ conuerſationis genium.

Fingere quis damnet? damnabile fingere non eſt:
Fingere qui neſcit, viuere neſcit homo.

In morte D. Petri Pacheco
Magiſtratûs Extraordinarij Præſidis Regij:
Viri,
Natalibus, literis, & bonis moribus
magni.

DISTICHON.

Fama triumphat; vbi mors ſe viciſſe putauit:
Illaque de Petro ſemper honora ſonat.

SANCTI CAIETANI
Cleric. Regul. Inſtitutoris,
vel mortalibus induti ſpolijs,
Orationis efficacia.

DISTICHON.

Alluditur ad S. Auguſtini ſententiam:

Oratio eſt clauis Cæli: aſcendit Oratio,
& deſcendit Dei miſeratio.

Orando, portas aperis, claudiſque beatas:
Opportuna Poli nam tibi clauis erat.

Ad P. D. Caietanum Mariam Mazzolinum Clericum Regularem, celſiſſimi Nominis Concionatorem.

DISTICHON.

NOn miror, flectas hominum cor, præco diſerte:
Ter dignè Verbum Numinis, ore vibras.

Amico.

DISTICHON.

SEmper ais, quod me geſtas in corde; ſed illic
Nonniſi diuinum cernère Lumen habet.

In quendam ditescendi auidiſſimum.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Matthæi, 16. 26.
Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

OMnia, quid prodeſt? terreſtria Regna lucreris:
Detrimentum animæ ſi patiaris homo?

Glorioſa IESV CHRISTI mors propter hominis vitam.

DISTICHON.

GLoria magna tibi eſt, hominē nō perdere: maior,
Pro illius tamen eſt, Chriſte, ſalute mori.

Mar-

Marchioni D. Franciſco Mariæ Caſnedo
noſtræ Faticoſorum Academiæ
meritiſſimo Principi, &c.

Aquilam, & Laurum
ſuo in Phrenoſcemate gerenti.

DISTICHON.

Regia adeſt Aquila, & Laurus tibi: fulmen in (hoſtes
Illa vibrat: Niſos protegit iſta tuos.

Adoleſcenti conſilium.

DISTICHON.

Cures noſſe Deum, quem ſemper amare peroptas:
Hunc benè qui nouit, ſemper amare ſolet.

Quærenti, quænam in terris foret velocior
creatura?

DISTICHON.

Alluditur ad conceptum mentis Thaletis Mileſij
vnius è ſeptem Græciæ Sapientibus: qui & fuit
primus apud Græcos Geometriæ repertor;
expoſuitque:
Nihil eſt humanâ mente velocius: quæ, minimo
temporis ſpatio, etiam remotiſſima quæque
percurrit;

Est nihil humanâ mage velox mente creatum:
Attingit ſiquidem cuncta remota breui.

De

De adulatore.

DISTICHON.

PRoxima ſtat vitio Virtus: ideòne putatur,
Quisquis adulatur, verus amicus homo?

Ad Patrem Ioannem Forti
è ſacra S. Philippi Nerii Congregatione
Virum multis Virtutibus imbutum;
vt S. Patris noſtri CAIETANI
Vita
felici eiuſdem conſcripta calamo
euulgat.

DEI, & voluntatis humanæ aſſimilatio.

DISTICHON.

ESt Deus vt Sol: vt ſtylus eſt humana voluntas:
Cur notat inconſtans illius iſta vias?

Ad DEVM in humanâ aſſumptâ carne patientem
Auctor.

DISTICHON.

TE mea depreſſit veſana ſuperbia, IESV:
Carne meas ſordes tu ſine ſorde luis.

Ad

Ad Faticoſorum Academiæ Problema
Quarto Idus Iulij, Anno MDCCI.

Coràm D. Ioanne Pinachio Guileſmo,
Regio Mediolani Senatore,
mox Magiſtratûs Extraordinarij Præſide,
noſtrorum literatorum maximè amante
præſtitum:

Vtrùm
Fortunata magis illa habeatur Reſpublica,
quæ bonum Principem;
vel quæ ciues benè morigeratos
conſecuta eſt?

EPIGRAMMA.

DIc mihi, Muſa, rogo: Problema reſolue ſolutum
A tot amatorum Palladis ingenijs.
Quid meditaris? an in partes inflectis vtrasque:
Nam ſe ſe partes mutuò vtræque iuuant?
Cùm bonus eſt Princeps; bonus aut eſt ciuis in Vrbe,
Semper ibi Sors eſt figere viſa rotam;
Cùmque boni ciues ſunt, Princeps Sorte ſecundâ
Vtitur; aduerſæ nec fera damna regit.
Principe ſubne bono Reſpublica ſit mage felix;
Vel cum ciue bono? carmine, Muſa, doce.
Muſā audite: caput Princeps eſt, membraq; ciues:
Membris Sorte frui dat meliore caput.

Ad Iuris peritum D. Innocentium Ferdinandum de Ciualerijs,
Mediolanenſem Patritium, Auratum Equitem, Palatinum Comitem,
Academicum Faticoſum,
L'INSVFFICIENTE,
ſapientèr prædictum Problema, in Faticoſorum Academia, politiſſimâ diſcutientem Oratione.

EPIGRAMMA.

EGit noſtra, Inſufficiens, *Academia grates*
Sepè Tibi: nunquàm ſufficientèr aget.
Non inſufficientèr enim Te quodque docente;
Quod ſis ſufficiens omnibus, illa canit:
Scilicèt es doctus, prudens, promptusque: ſubire
Magnis digna Viris munera cuncta potes.
Pro reliquis præſens à te Problema ſolutum,
Quàm præſtes, celebrat ſufficiente ſono.

Ad præfatum D. Oratorem, cuius Familiæ nobilis Inſignia Aquilam exhibent.

DISTICHON.

NOn debes aliquid Famæ; tibi debet at illa
Vim: pennis Aquilæ cùm volet Ipſa tuæ.

Ad eundem D. Oratorem,
ſupra ipſius Academicum Nomen.

DISTICHON.

AST Inſufficiens tibi ſis, Virtutis amore;
Pro multis noſtro ſufficis ipſe Choro.

Senſus
à D. Franciſco Inſula Academico Faticoſo,
Elegiâ,
ad Oratoris de prædicto Problemate laudem,
expreſſus:
In vtriusque Domini,
prænominati ſcilicèt Poetæ celebris,
& prædicti inſignis Oratoris
honorem,
breui extemporaneo per me exponitur
Epigrammate.

EXigit eſſe probum felix Reſpublica ciuem:
Nec minus eſſe probum poſtulat ipſa Ducem.
Orator benè ait: Non eſt Reſpublica fælix,
Æquo ſi careat Principe, ciue bono.
Æquus quid faciat Princeps, hic ore probauit:
Quid bonus efficiat ciuis, agendo probat.

Ad amicum de ſene quodam imprudenti.

DISTICHON.

ÆTas canitie micat, haud prudentia: crede
Hinc, quod amicus eâ gaudeat; hac careat.

Ad

Digitized by Google

Ad Patrem D. Antonium Mariam Cauaionum è Clericis noſtris Regularibus verum Chriſti Domini præconem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Act. 1. 1. *Cœpit IESVS facere, & docere*: vbi Cornelius à Lap. è ſacra Soc. Ieſu: *IESVS cœpit primò facere, deindè docere.*

Hinc, quod Apoſtolicus ſis Doctor, noſco: docente
Te bona plura gregem, ſed faciente priùs.

Ad vulgaria dicta, vt infrà,

DISTICHON.

Omnia vincit amor: labor improbus omnia vincit:
Nil magis ardus amor, quàm labor ergo valet.

Ad S. Eucherij dictum in epiſt. Paræn. ad Valerian.

Quid iſtud, quæſo? quid iſtud eſt? nihil ità quotidiè homines, vt mortem, vident; nihil ita obliuiſcuntur, vt mortem.

DISTICHON.

Nulla vetuſtior extat conſuetudine mortis:
Nec minùs aſſueſco, quàm meminiſſe mori.

D. Fran-

D. Franciſco Marchioni Putheobonello,
Iuris Conſulto Collegiato,
& Magiſtratûs Ordinarij Mediolani
Quæſtori:
quem, ſupra Nobilitatem,
multæ illuſtrant Virtutes:
præ cæteris multùm
Deiparæ Conceptionis Immaculatæ
Veneratio, & amor.

De pictura Virginis MARIÆ IESUM oſculantis.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Riccardi à S. Laurentio,
lib. 2. de laud. B. V. p. 3.

Ipſa eſt enim Apis;

& ad illud aliud Cant. 2. 1.

Ego flos Campi, & lilium, &c.

Libat Apis Flori: Genitrix Apis altera IESV
Oſcula: mel labris vtraque dulce trahit.

De flebili nonnullorum ſtrenuorum ducum caſu
in Venereas ſordes.

DISTICHON.

Fabula ſit, victi fuerint à Cypride Martes:
Hos ab ea vinci nunc potuiſſe, liquet.

Ex

Ex Luciano in Dialogo Veneris, & Cupidinis.

DISTICHON.

(*horret*
QVod grauis eſt Pallas, leuis Ales, abhorret, ab-
Muſas: quòd carnem, *quã mage* carmen *amet.*

Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Pſal. 75. 6.

DISTICHON.

(*ſunt?*
DIuitis in manibus ſunt plurima: plurima quid
Sunt nihil: hoc illi magna ruina nihil.

ALIUD DE EODEM.

Per *nihil* hîc intellige *peccatum*, ſicùt intellexit S. Auguſtinus in Io: 1. ſine quo factum eſt *nihil*, ideſt *peccatum*.

INuenere viri nihil *omnes diuitiarum,*
Culpam *nempè; cui nil bonitatis ineſt.*

Equus
S. Ioanni Papæ à quodam Domino commodatus; vbi Summum Pontificem portauit, eiuſdem Domini vxori reſpuit inſeruire.

DISTICHON.

FErre recuſat heram ſonipes, vbi detulit Orbis
Myſtam: Bucephalo quàm magis ille ſapit!

S. Mau-

S. Maurus Abbas ſuper aquas incedens vt S. Placidum à periculo ſubtrahat.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Geneſis 1. 2.
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

FErtur vti volucer ſuper vndas Maurus: an ipſe (eſt?
Creditur hic potiùs ſpiritus eſſe DEI.

Ad D. Petrum Antonium Abbatem Crauennam,
Faticoſum Academicum,
L'IRRESOLVTO,
Poetam Latinum egregium.

DISTICHON.

MEnte, Crauenna, tuâ floret peramœna Camœna:
Suauior in nullo creſcit auena loco.

Sanctus Felix Nolanus Martyr, ex itinere defatigatus, ſitiens, vuas è ſpinis habet.

DISTICHON.

POnite iam pauidi curas: porrexit egenti
'E ſpinis vuas prouida dextera DEI.

DE EODEM ALIUD.

INnocuis priùs, haud ſpinas, rudis attulit vuas
Tellus: innocuo, ſorte priore, fauet.

Periphraſis
Cantûs Romanæ Eccleſiæ in die Sancto Paſchatis:

O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit Redemptorem!

DISTICHON.

FElix peccatum! niſi deliquiſſet; ab alto
Axe Redemptorem non habuiſſet homo.

Beatus Andreas Auellinus Clericus Regularis Virtutibus, & miraculis ſemper beneficus.

TETRASTICHON.

MIgrat in occiduam Regionem Phœbus; in Orbe
Altero vt effundat lumen, & inde iuuet.
Sol eſt Andreas ſanctis fulgoribus ardens;
Iam micat Empyreo, nos vt vbique iuuet.

Sanctus Iacobus annoſus Anachoreta, ex admiſſæ mulieris occaſione, in ſtuprum lapſus.

DISTICHON.

ARſit, vt aſpexit: cecidit mox cultor Eremi:
Vrbani iuuenes, vos monet iſte ſenex.

In

In Solemnijs primi Ingreſsûs
ad Eccleſiam ſuam Metropolitanam
Mediolanenſem
Iuris Conſulti Collegiati
IOSEPHI ARCHINTI ANTISTITIS
S. R. E. Presbyteri Cardinalis
tit. S. Priſcæ, &c.
Nono Calendas Auguſti,
Anno MDCCI.

DISTICHON.

Alluditur ad vocem IOSEPHI ſignificantem
AUGMENTUM.

SCande thronũ, Ioſeph: tua tecũ Eccleſia creſcet:
Creſcet Maieſtas, Iuſtitia, & Pietas.

Auctor, vt libentêr patiatur,
ad IESU Chriſti patientiam memoriam ſuam
vocat.

DISTICHON.

Alluditur ad id, quod Phocion dixit Tudippo
ſecum ad mortem damnato, & dolenti:
An tibi non ſatis eſt, cum Phocione mori?

CUr, moriente bono, mortem perferre ſat illi:
Non erit & tecum ſat mihi, Chriſte, pati?

Ad D. Balthaſarem Marchionem Patigno,
Regium Generalem
ſingulorum militum in Statu Mediolani
Inſpectorem,
Faticoſorum Academiæ Proprincipem VIII.
IL CONTENTO,
Palladis, & Euangelij Virtutibus
emicantem.

Quid ſit Mundi malacia?

DISTICHON.

Allud. ad illud S. Hieronymi ad Heliodor. nempè:

Licèt in modum ſtagni fuſum æquor arrideat, intùs incluſum eſt periculum, &c.

QVid ſit trãquillus Mundus, petis? eſt mare, vultu
Ridens; corde licèt multa pericla tegens.

Ad P. N. N.
ſacri ſui Ordinis Priorem, poſcentem
ab Auctore de ſui in Conuentûs
Regimine conſilium.

DISTICHON.

VIs bonus eſſe Prior? fratresque docere potenti
Voce tuos? doceas tu, faciendo, prior.

Nec

Nec vnus thronus, nec vna Regalis Corona
duobus ſufficit.

DISTICHON.

Allud. ad illud Senecæ in Thyeſte tragœd. 2. actu 3.

Non capit Regnum duos.

AVguſtus duplicis thronus eſt anguſtus: & vna
Regnantis, quamuis vaſta, Corona comæ.

Perſeuerantem vult in nobis DEUS
erga ſe amorem.

DISTICHON.

Alluditur ad B. Petri Damiani ſententiam:

Deus amorem Eclipticum non recipit.

NOn recipit Deus à nobis Eclipticum amorem:
Splẽdido amore micans eſt redamandus Amor.

Beata Virgo MARIA mœſtiſſima,
ſed abſque lacrymis,
in Diuini Filij Paſſione picta.

DISTICHON.

NOn flet? non promit ſuſpiria pectore Virgo?
Ah! magis illa dolet, cùm minùs illa dolet.

Auctoris ſenſus in amando DEUM, qui tàm multum habet intrinſecè, vt ametur.

DISTICHON.

EXternis, Deus, haud cauſis volo duci ad amandũ
Te: volo amare, Deus, te, quòd es ipſe Deus.

Amico nauci tempus facienti.

DISTICHON.

TEmpus emas: ſumptus ſumptu pretioſior omni (eſt:
Æternùm viues, ſi tibi tempus emas.

Vir Nobilis cum facundo pedes iter faciens Publij Syri dicto ſe tuetur.

DISTICHON.

NE longâ pedes ito viâ: non ibo pedeſter,
Cùm mihi pro rheda ſit comes ore potens.

Vniuerſale de Fortuna ex Terentio documentum.

DISTICHON.

QVod Sors fert homini, non aduerſante ferendum
Eſt animo; æquanimi pectore ferre iuuat.

Digitized by Google

Ad Ludouici Viues ſenſum.

DISTICHON.

H*Vic, nè iurato, credam: quia vix homo mendax*
Hac indiuiduâ proprietate caret.

In quendam
nimis terrena, in cæleſtium comparatione,
æſtimantem.

DISTICHON.

S*I terrena magis, magis & cæleſtia pendas;*
Hæc aurum dices æquiùs, illa lutum.

De ſilentio ad amicum.

DISTICHON.

Alluditur ad illud ex Comicis Græcis,
Sile: meliora vel loquere ſilentio,

O*Ptima res homini, ſeruare ſilentia: quarè,*
Dicere ſi nequeas his meliora, tace.

Ad quendam Hiſtoricum.

DISTICHON.

Ex Comicis Græcis,

L*Argè laudato: reprehendito parciùs; & te*
Hiſtoricum dicent protinùs eſſe bonum.

Digitized by Google

Ad Comitem
D. Petrum Franciſcum Vicecomitem Borromæum
Equitem,
ob multas eius Virtutes,
cum paucis comparandum:
piſſimâ,
erga Immaculatam B. V. M. Conceptionem,
eiusque Sodalitatis exercitationes,
ſedulitate
ſecundum nulli.

Inſcriptio ſuper Horologium rotarium
Numinis vnà Paſſionem, & temporis momenta
oſtendens.

DISTICHON.

IMmemores pudeat mortales viuere, quando
Momentum Domini cernitur omne memor.

DE EODEM ALIVD.

NOn benè metitur tamen ars operoſa dolorem:
Menſuram neſcit temporis iſte dolor.

Quidam vir bonus non fuiſſe mentitus aſſeritur.

DISTICHON.

Iuxta Marci Tullij Ciceronis ſenſum.

VIr bonus eſt, ergo non eſt mentitus: in iſtud
Nec cecidit vitium; nec cecidiſſe poteſt.

Pa-

Patri D. Ioſepho Hieronymo Semenzi
è ſacra Somaſchæ Congregatione,
Academico Faticoſo,
L'ASSICVRATO,
in Ticinenſi Uniuerſitate publico Lectori:
amico
doctrinâ, eruditione, ſcriptisque libris noto,
modeſtiæ laude notiſſimo.

De Luſcinia
ſuper Crucifixi Domini ſimulacrum
cantare auditâ.

DISTICHON.

LÆſum fortè videns IESVM ingenioſa volucris,
Vult lenire ſuis vulnera ſæua ſonis.

Ad conquerentem,
quòd, iraſcens, rationum auxilio ab Auctore
deſereretur.

DISTICHON.

Alluditur ad Publij Syri conſilium, nempè:

Eripere telum, non dare irato decet.

NE mirere, tibi deſim ratione tuendo:
Eripere irato, non dare tela decet.

D. Ioan-

D. Ioanni Baptiſtæ Abbati Meazza
Montis S. Ioannis in Campania,
eiusque Prouinciæ, &c.
Pro
CLEMENTE XI. Summo Pontifice
Gubernatori, &c.
vbi ampliſſimam, ornatiſſimam, ditiſſimam
aliquam ab eo luſtratam Ciuitatem
faſtoſis Auctori efferret laudibus;
tranſmiſit hoc Auctor fratri ſuo dilectiſſimo

EPIGRAMMA.

Non ea, quæ Phrygijs tolluntur tecta columnis;
Aut commune ornant ſaxa, vel ara forum:
Non Templa, aut arcus: non auro picta theatra:
Non thermæ: aut riguis cantibus vnda fluens:
Non magis, hæc decorant Vrbes, clarantq;: ſed ipſa
Clara domi Virtus Ciuica, clara foris:
Culta Mineruа: Toga illuſtris: Præſtantis in armis
Excellens, Vrbes Nobilitate replet.
Omnibus ad nubes Vrbs ſurgat ſplendida; pulchra
Deſit ei Virtus, turpe cadauer erit.
Illa animat quæcunque nitent mortalibus: illâ
Vitam cuncta trahunt: grandia quæq; micant.

De mundano honore.

DISTICHON.

Est honor vmbra fugax: ideò fugit ille ſequentẽ:
Vt fugientem hominem cernitur ille ſequi.

Cui-

Cuidam filio
parentem ſenem ægrè ferenti.

DISTICHON.

Alluditur ad eam Publij Syri ſententiam:
Ames parentem, ſi æquus eſt; ſi alitèr, feras.

ÆQuus ſi fuerit pater, à te debet amari;
Æquo, ni fuerit, corde ferendus erit.

Ad CHRISTUM IESUM ſpinis-coronatum
Auctor.

DISTICHON.

CVrarum multæ pungunt mea tempora ſpinæ;
Miror, non feriant plùs mea corda tua.

Auctoris
Ad B. V. MARIAM,
inter meditanda eius Symbola,
affectus.

DISTICHON.

NIx niue candidior: Sol Sole nitentior omni es:
Es Lux, Virgo, nitens: Lucis es immò nitor.

Ad eandem Beatiſſimam Virginem
eadem occaſione.

DISTICHON.

DVlcis es, ò Virgo, dulcedine dulcior ipſâ:
Dulcis es in ſummo: dulcior eſſe nequis.

De

De iuniore quadam, & optima virgine in matrimonium à pluribus exoptatâ.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Plauti in Pœnul. ac. 1. ſc. 1.

Proba merx facilè emptorem reperit.

NE mirere, citò inueniat proba Virgo maritum:
Emptorem facilè *nam* probæ merx reperit.

Ad S. Ioannem Baptiſtam. Super illud Lucæ 1.

Quis, putas, puer iſte erit? & ſuper illud aliud: *Erit enim magnus, &c.*

DISTICHON.

CReſcas, magne puer: quia factus maior, in Orbe
Nonniſi Vir noſtro maximus eſſe potes.

De quadam muliere priùs prudentiſſimâ, mox imprudenti.

DISTICHON.

FOemina tàm grauis, vndè leuis iam cernitur? vndè?
Nulla diù in terris fœmina pondus habet.

Propertius.

Ad D. Petrum Franciſcum Comitem Luranum
inclytum Equitem,
ac erga vtramque noſtram Clericor. Regular.
Academiam:
piam: & literariam:
Immaculatæ Conceptionis Deiparæ:
atque Palladis Faticoſæ
impenſè addictum.

DISTICHON.

NAm tibi non inſtant animũ bona, nec mala fran-(gunt:
A Virtute, Comes, Nomen habeto Viri.
Ex Alciato Embl. 36.

In N. N. ingenioſiſſimum, & vitioſum hominem.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum Philoſophicum:
Bonum, & pulchrum conuertuntur.

ESſe bonum, pulchrumq; ferantur idem: tibi pul-(chram
Eſſe ſcio mentem; non tamen eſſe bonam.

Publico Miniſtro dolenti,
multa ſibi à Principe fuiſſe iuſſa.

DISTICHON.

SEgniùs expediunt commiſſa negotia plures:
Commiſſa hinc vni plura fuere tibi.
Ex Horatio.

De

De puerorum per bellaria eluſione, ad quendam

DISTICHON.

INcautos fallat, tu nè mirere, puellos:
Dulcis, & aſtutas, decipit eſca feras.

In criminoſum, & aliorum cenſorem.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Marci Tullij Ciceronis:
Carere debet omni vitio, qui in alterum dicere paratus eſt.

TVrpe eſt cenſori, ſi culpa redarguet ipſum;
Sis bonus vt cenſor, ſit tibi culpa procul.

Occaſione aurei rotarij Horologij
ad mortales admonitio.

DISTICHON.

AVrea ni frenat fugitiuum machina tempus:
Hoc propè mortales quis retinere poteſt?

Ad Dominum N. multis ſeruitijs cultum.

DISTICHON.

NOn curo, quod agas mihi grates ſemper: egenti
Iſta mihi prodeſt actio grata nihil.

Ex Plutarcho.

Ad

Ad Problema,
præſente D. Sigiſmundo Chalco
Iuris Conſulto Collegiato,
Regio Mediolani Senatore, Viro præclariſſimo,
in Faticoſorum Academia exolutum,
Octauo Idus Septembris, Anno MDCCI.

An Sanctus CAIETANVS
Clericorum Regularium Patriarcha,
atque eiusdem Academiæ Patronus
plùs in DEO confiderit, vel de ſe ipſo diffiderit?

EPIGRAMMA.

Diffidiſſe liquet ſincero corde Thienem
De ſe; confiſum ſemper & eſſe DEO.
De ſe diffiſus mage, vel confiſus in illo
An fuerit Diuus? lingua tacere nequit.
Mirificè de ſe quamuis diffiderit Heros;
Quàm ſibi, confidit plùs tamen ipſe DEO.
Scilicèt expendens, Numen ſuper omnia amandum;
Se priùs huic totum fidit, amansque dedit.

Quid optimum vnà, & peſſimum?

DISTICHON.

Alluditur ad illud, quod penès Plutarchum legitur
de Biante Prienæo ad Amaſim Ægyptiorum
Regem.

Optima quæ res eſt, quæ peſſima queritur? vnæ eſt
Optima res, ſimul & peſſima, lingua hominis.

Ad

Ad D. Doctorem D. Antonium Albutium SS. Ambroſij, & Caroli Oblatum, nec non Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectum, *Academicum Faticoſum*, IL SOLLEVATO, prædulce ingenij, orisque mei in prædicti Problematis Oratione inſtillantem.

EPIGRAMMA.

TAm benè ſoluiſti, Albuti, Problema; quòd vllus
Mentis in oppoſitum tela vibrare nequit.
Docta quidem tua nos vicit ſic copia fandi;
Vt labra vix valeant reddere noſtra ſonos.
Indè meum ſubijt cor diffidentia, tanti
Admirans in te flumina plena ſophi;
Quin Suadæ mea Muſa tuæ, pro munere, noſcit:
Quod non ſit grates apta referre pares.
Ergo, quid faciam? tibi fronte, & mente benigno
Me credam totum: nitar amore tuo.

MARIA.

Anagramma.

A MARI.

DISTICHON.

DIuini veniant reliquæ de flumine amoris;
Hæc venit à vaſto Virgo MARIA Mari.

In

Digitized by Google

In obitu, pridiè nonas Septembris,
penès nos, Mediolani,
P. D. Antonini Arguis Clerici Regularis,
in ſacris, profaniſque literis eruditiſſimi:
qui non vnam in noſtra Congregatione
Dignitatem:
apud Mantuæ, & Mutinæ Duces,
pro Rege Catholico Reſidentias:
atque *Academici Faticoſi*,
ſub Nomine
DEL DIVERTITO,
partes,
magna cum laude,
impleuit.

DISTICHON.

QVi dicendo fuit, fuit immortalis agendo,
Heros hic, vnquàm non moriturus, obit.

Amico.

DISTICHON.

Super illud Matthæi, 10. 16.

Eſtote ergo prudentes, ſicùt ſerpentes, & ſimplices, ſicùt Columbæ.

VLli nè noceas, teneras imitere columbas;
Prudentes colubros, nè tibi quis noceat.

De cuiuſdam in literis profectu.

DISTICHON.

Cum foret ingenio tardus, profecit amicus:
Huic Virtus ſtimulos æmula namque dedit.
Ex Lucano l. 1.

Ad D. Ioannem Baptiſtam Comitem Albanum in Rhetorica facultate promptiſſimum, *Faticoſum Academicum,* IL TEMOROSO.

DISTICHON.

Tam bonus es Rhetor, quod de te quiſq; fatetur,
Sis Charitum pulchras depopulatus opes.

Sol, & DEVS.

DISTICHON.

Clara figura DEI Sol eſt: Sol lucet in Orbe
Solus, vti ſplendet ſolus in Orbe DEVS.

Diues, & pauper.

DISTICHON.

Non ſatis eſt, quod habent locuples, & pauper: (vterq;
Nil minùs ergo miſer; nî ſatis eſt, quod habet.

De Mundi Seruatore. *Ego ſum Via.* Io. 14.

DISTICHON.

Omnibus antè fuit facilis deſcenſus Auerni:
Plana modò cunctis Chriſtus ad aſtra Via eſt.

D. Hie-

D. Hieronymo Comiti Archinto
Iuris Conſulto Mediolani Collegiato,
Abbati S. Mariæ, tùm de Vico Comenſi,
tùm Braydenſis:
SS. D. N. Clementis XI.
Summi Pontificis
Camerario, vt vulgò dicitur ab honore: ſeu
Prælato Domeſtico, &c.
Academico Faticoſo
IL TRANQVILLO:
cùm in Patria commoraretur Anno MDCCI;
& ad Faticoſorum Academiam accederet.
Eiuſdem Academiæ Nomine

EPIGRAMMA.

NOſtra Tibi fert Muſa ſuos, Hieronyme, plauſus,
Sydere Clementi *Te rutilare ſciens.*
Perge: Faticoſis ſocijs quas ritè probaſti,
Ingenij laudes vt quoque Roma probet.
Nè tenuat tantùm ſapientia prodere dotes,
Quas Tua Tranquillo *condere corde ſolet.*
Perge Tuo decori: Romaque laboribus inſta,
Mecenas: noſtris faſtibus adde tuos.
Perge: canentq; modis Patria, atq; Academia latis:
Et Tibi cum Patruo mox rubuiſſe comam.

Excuſanti amicum ſuum,
qui manifeſtè in ipſum deliquerat.

DISTICHON.

NE tege, ſi nocuit tibi talis amicus amico;
Ille vti ab infeſto diſcrepat hoſte nihil.
Adagium.

De celſitudine Pontificiæ Dignitatis.

DISTICHON.

Alluditur ad ea S. Bernardi verba in epiſt. 1. ad Eugenium Summum Pontificem, quæ eſt 237.

Conſidero gradum; & caſum vereor: conſidero faſtigia Dignitatis; & intueor faciem abyſſi iacentis deorſum: attendo celſitudinem honoris; & è vicino periculum reformido, &c.

MEllifluus caſum trepidat, faſtigia Papæ
Cernens: in terris cùm ſit honoris Apex.

Conquerenti, quòd, benè viuens, malis ſemper ſolicitetur.

DISTICHON.

PVrus es: ærumnis ego cur, ais, ergo flagellor?
Cur? magis à ventis lux agitata micat.

Ad Deiparam Auctor.

DISTICHON.

IN me ſi quid adeſt Virtutis, Virgo MARIA,
A Domino: per Te, Fonte perenne fluit.

Ad Aram
Sanctiſſimæ DEI Genitricis
ſine peccato Conceptæ
Anno MDCLXXXVI. extructam;
& à D. Georgio Taſnier
ære ſimillimam Taurini inciſam
Inſcriptio.

Immaculata Conceptio
Beatiſſimæ Virginis MARIÆ,
In Patrum Theatinorum Sacello,
Propè eorumdem Templum S. Antonij Mediolani
erecto
Nobiliſſimæ potiſſimùm Sodalitati
Equitum, & Matronarum,
Ob DEI Verbum audiendum,
Maioris Noſocomij ægrotantes iuuandos,
Pietatemque Chriſtianam multifariè excolendam,
Viciſſim ſe ibidem
Singulis diebus Sabbati congregantium,
Pario lapide elegantèr expreſſa,
Alijsque marmoribus, & Sculpturis pretioſis,
Aſſiduo Diuinæ Prouidentiæ miraculo,
Exornata.

D. Ioanni Antonio Parrauicino
erudito, & religioſiſſimo Equiti,
qui, inter cætera ſua ornamenta,
ſingulari eo ſplendet;
quod
Immaculatam B. M. V. Conceptionem
maximo, & intermiſſo nunquàm ſtudio
colat.

De Beatiſſima Virgine Immaculatâ
in ſua Conceptione.

DISTICHON.

VT nullum naeuum Natura in Virgine: in Iſta
Nec minimam maculam Gratia paſſa fuit.

Oſtenditur Immaculata MARIÆ Conceptio
ab Hugone à S. Victore ſerm. 65.
per ſimilitudinem ſic:
Sicut ſpina roſam, genuit Iudæa Mariam.

DISTICHON.

SIc ex Iudæa prodit ſine crimine Virgo:
Prodit vt è ſpinis intemerata roſa.

In guloſum,
oſtenditur ei alius guloſus magnis doloribus
ægrotans.

DISTICHON.

QVò gula fert, nimiùm comedendo, lurco! dolore
Alterius, diſcas poſſe carere tuo.
Ex Tibullo Elegia 7.

S. An-

S. Antonius Patauinus
è ſacro Minorum S. Franciſci Ordine,
deficiente naui,
pallium ſuper vndas turbati maris extendens,
ac Crucis ſigno ſe muniens,
illas feliciter traijcit.

EPIGRAMMA.

Ad D. Auguſtinum Cuſanum
Iuris Conſultum Mediolani Collegiatum,
Amaſeæ Archiepiſcopum,
Apoſtolicum
ad Venetam Rempublicam Nuncium:
Prælatum,
quâ prudentiâ, quà diſciplinis ſacris, & profanis
fulgentiſſimam in Eccleſiaſtico Cælo
Facem.

DVm fremit vnda maris, nimbiſq; Auſtralibus (ger:
Bella mouente noto, bella mouente Polo;
Conſpicit hos Diuus volitare per æquora fluctus:
Ventorumque iras, arma, minasque ſali.
Quid faciam? dicit ſocio: nulla eſt in littore nauis,
Nobis horriſonæ qua ſuperentur aquæ.
Nil hic verba iuuant: donet Crux ergo phaſelum:
Cuncta triumphabit religionis honos.
Vtar, pro rate, palliolo: ſuper hæſce procellas
Gratia remus erit Numinis: aura Fides.

Hæredi illuſtri, vt ſuis ſuffragia deferat, monitum.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Matthæi, Marci, & Lucæ:

Eâdem menſurâ, quà menſi fueritis, remetietur vobis.

EXtinctis Vir redde bonum Maioribus æuum;
Iſtud poſteritas reddat vt æqua tibi.

Epitaphium
Afræ N. murmuratrici peſſimæ.

DISTICHON.

QVa, viuens, hominum ſemper detraxit honori;
Marcens, cùm nequeat, detrahit Afra ſolo.

De homine indocto.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Catonis.

Sine doctrina, vita eſt quaſi mortis imago.

SPiritus eſt hominis doctrina; cadauer habeto,
Quem ſine doctrina noueris eſſe hominem.

Quo

Quo pacto verâ doctrinâ
potiri quis poſſit?

DISTICHON.

VEre doctus amas euadere, amice? nitenti
Euades ſpectans mente aliena mala.

Diurna terrenorum amorum, & florum vita.

DISTICHON.

FLoribus eſt breue; nec minùs eſt breue viuere (amori:
Hinc in munus eos mittit amantis amans.

Ad Religioſum Virum
aliquando ſolertem, nonnunquàm ſegnem,
in ferendâ, pro fructu, animarum ſalute.

DISTICHON.

Alluditur ad illud S. Io. Chryſoſtomi
in parabolam de ficu, relatam tùm Matthæi 24.
tùm Marci 13.

Omnis arbor ferè uno tempore fructus præbet;
ſed & infrà paucos dies, & matureſcunt,
& cadunt: ficus verò, ex quo cœperit
fructus afferre, vſque in hyemem
fructificare non ceſſat.

NOn ſatis eſt vno des anni tempore fructus:
Sæpè, velut ficus, fructibus eſto ferax.

Pro

Pro D. Ioanne Comite Borromæo
Generali Regis Catholici in Inſubria Prouincia
Commiſſario,
Primo Faticoſorum Academiæ Principe,
celeberrimo ſui ſæculi Heroe:
Qui ſub Nomine DELL' ANIMOSO,
Pyramidem magnam erigendam
ſuo elegit pro Symbolo, cum lemmate:
Sydera vertice.

DISTICHON.

EST animoſa quidem; nimis at nõ Pyramis audet:
Inuia Virtuti non datur vlla via.

B. Andreas Auellinus Clericus Regularis
ſupremam, in morte, dæmonis luctam fortitèr paſſus,
compoſito ad hilaritatem vultu, placidiſſimè obiit.
Ità ad verbum ex lectionibus pro eius die feſto
approbatis.

DISTICHON.

ILluc vſque videns ſe deluſiſſe Tyrannum
Tartareum, Domini robore; lætus obit.

Ad N.N. ſtupentem, ſibi à fratre, homine peſſimo,
non ſuccuri:
per commune Prouerbium reſpondetur.

DISTICHON.

AVxilio careas fratris, miraris an? illi,
Eſt ſibi qui nequam, nec bonus eſſe poteſt.

Patri

Patri D. Antonio Senni Clerico Regulari
ſapienti Viro,
vel maximè, quòd ſui operam,
& ſedulò, & ſemper
in DEI honorem, proximorumque beneficium
impendere ſtudeat.

Quotidiè mortales iuuare, diuina res.

DISTICHON.

RE, vel conſilijs ſemper prodeſſe, quid eſt hoc?
Eſt ſancti proprium Numinis: haud hominis.

De cuiuſdam ditiſſimi infelici interitu.

DISTICHON.

QVis canit, inter opes pulchrum decumbere ſortē?
En magnis opibus plenus, egenus obit.

Beatiſſima Virgo MARIA
ex Sancto Ioanne Damaſceno Orat. de Nat.

Miraculorum Abyſſus.

DISTICHON.

IN Genitrice DEI poſcis miracula? eorum
Ecce Damaſcenus, quod ſit Abyſſus, ait.

Re-

Regum, & roſarum Purpura.

DISTICHON.

Dicitur, & benè Flos florũ roſa: floribus, vt Rex
Principibus reliquis, digna quòd illa præit.

DE EODEM ALIUD.

Oſtrum nè Regale roſæ par deneget vllus:
Illud, & iſta, vepres vndique ſemper habet.

Suſtinenti vocem, *microcoſmos*, tribui non poſſe fœminæ; ſed mari tantùm: pro diſſidij fine.

DISTICHON.

Cur microcosmus, ais, ſit vir, nõ fœmina? multos
Forſan ob ornatus hæc macrocosmus erit?

Ad Prouerbium:

Iniuria ſoluit amorem.

DISTICHON.

Verum ſit priſcis: iniuria ſoluit amorem;
Chriſticolis falſum eſt: quos in amore ligat.

Lecto S. Laurentio Iuſtiniano
cap. 21. de triumphali Chriſti agone, vbi habet
Clariſſimum Paſſionis Chriſti ſpeculum effectum erat Cor Virginis,

Deprecatio ad Beatiſſimam Virginem MARIAM.

DISTICHON.

CVm, velùt in ſpeculo, micet in te Paſſio Chriſti,
Cor, rogo, pro ſpeculo, ſemper habere tuum.

SEU DE EODEM ALIVD.

CVncta DEI apparent tormenta in corde Mariæ:
Ceu ſpeculo, eia tuo, Virgo, cor adde meum.

Ad Patrem D. Petrum Gioia
Clericum Regularem,
benè dicendi artis, & ſcientiarum:
diuinarum præſertim, vti & ſacrorum Canonum,
eximium in Vrbe Profeſſorem.

DISTICHON.

DVlcis es, & ſapiens: mulces dulcedine corda:
Conſultâ mentes mente trahisque docens.

Ad quendam amicum.

DISTICHON.

ORe tenùs, nollem, me fictus amicus amares;
Sed facto, verus ſis mihi amicus, amo.

DE EODEM ALIUD.

PLurima promittit, nil dat: procul abſit amicus,
Cuius in ore cor eſt, ſunt opera in pedibus.

Vt hoſtem vincas, nè ſis nimis velox.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium:
Romanus, ſedendo, vincit.

Vincere ſi cupias, nè ſis ad prælia præceps;
Sed, Romanorum more, *cauendo,* ſede.

In liuidum hominem.

DISTICHON.

Me fruſtrà lædis: te fruſtrà, liuide, laudo:
Credit nemo tibi, liuide: nemo mihi.

Quàm vtilis Nobilibus parſimonia.

DISTICHON.

Alluditur ad illud M. Tullij Ciceronis:
O Dij immortales! non intelligunt homines, quàm magnum vectigal eſt parſimonia.

OEconomi ſtudium par *quando* ſimonia *fiat;*
Magnum hoc vectigal Nobilitatis erit.

Vel.

OEconomus reſecet luxum, atq; ſuperflua menſæ;
Hæc ars ſeruandæ Nobilitatis erit.

Tres

Tres homo offendit mendacio :
Naturam, Rationem, Fidem :
Thema Diſcurſùs trigeſimi partis primæ,
à Patre Paulo Segneri è ſacra Societate IESU
in ſuo Chriſtifideli inſtructo oſtenſum.

DISTICHON.

SVnt Ratio, Natura, Fides, tribus ictibus icta
A mendace: ſatis num cuicunque patet?

Amico, pro euitandis facilè culpis, conſilium.

DISTICHON.

TE ſemper tuba terribilis vocet ante Tribunal;
Si vitare, vigil, crimina cuncta cupis.

In filium de inani tantùm funeris honore
in genitricis ſuæ morte ſollicitum.

DISTICHON.

PRouideas animæ; pompamque remitte: videris,
Funus, non animam, matris amare tuæ.

De peccatoris lacrymis.

DISTICHON.

VNda lauans animas ſit pura; impura quòd illas,
Etſi corde fluens, vnda lauare nequit.

Pa-

Digitized by Google

Patri D. Ioanni Carolo Meratto
Clerico Regulari Veneto:
qui inſigni cum fructu, & laude,
Quadrageſimali tempore concionatur:
vt teſtatur & noſtrum
Sancti Antonij Mediolani Templum,
quod eundem pridem audiuit.

De
S. CAIETANO Clericor. Regular. Patriarcha,
pro ſuis curandis morbis,
implorato paſſim à Venetis.

CAIETANVS THIENES

Anagramma.

HIC VENETIAS SANET.

DISTICHON.

Nil valet Hippocrates medicâ nil arte Galenus?
Arte potens Venetos Hic meliore leuet.

Ad amicum,
de aduerſante eidem fortunâ,
ex Publio Syro conſilium.

DISTICHON.

Si vitare nequis contraria ſpicula ſortis,
Non culpes; forti corde ſed illa feras.

De

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

DISTICHON.

O *Homo: factus homo pro te Deus, ecce! fit eſca;*
Si tibi non ſatis eſt: peſſimè auarus eris.

In quendam filium ſuis parentibus ingratiſſimum.

DISTICHON.

Alluditur ad nuncium Thaletis Mileſij vnius è ſeptem Græciæ Sapientibus, ideſt:

Eadem à filijs, ſenex, expecta, quæ ipſe aliquando tuis parentibus præſtiteris.

A *Gnatis aliquando, ſenex, attende: parenti,*
Quæ tu præſtiteris, gnatus, vtrique tuo.

Ardua res eſt: ſeruo Dominum obedire.

DISTICHON.

A *Vita gradus ad mortem eſt res dura; iubenti*
Eſt an hero, ſerui iuſſa ſubire, minor?

Ad
LODOVICAM MARIAM
natam Regiam Sabaudiæ Principem,
cùm in matrimonium cooptata,
iter inſtitueret,
Septembris menſe, Anno MDCCI.
ex Italia in Hiſpanias
ad clementiſſimum Eius Conſortem
Iberum Monarcham, &c.
PHILIPPUM V.

ELEGIA.

Magna licèt pateat multis Europa Coronis;
Parua putata tuo ſit, Lodouica, thoro.
Connubio noua Regna tuo; Regesque petantur;
Queis ſubſit populos Orbis uterque ſuos.
Ille noui Dominus Mundi; cui paret amicè
Indiæ, & Heſperiæ gens numeroſa plagæ:
Illi, cui Occiduæ reſonant Orientis & oræ,
Par meritis maneat, Regia ſponſa, tuis.
Vt regnes felix animis tot idonea pergas:
Quot latè ſparſus maximus Orbis habet.
Occaſus tua ſors fiat: tua ſors ſit & Ortus:
Imperij ſit pars Auſter & ipſe tui.
Sed pacem comitetur Hymen; finesq; remotos
Eridani, & Gangis fœdere iungat amor.
Mars cedat Paci: Stirps inclyta ſurgat Auorum:
Votis hiſce meis, Numinis aura, faue.

Digitized by Google

PHILIPPO V.
Hiſpaniarum Regi, &c.

DISTICHON.

ORbem fers tenerâ ceruice, Philippe, ter amplũ;
Si pius, & iuſtus fers, erit ille leuis.

Quarè
B. Andreas Auellinus Clericus Regularis
plùs hîc deſideret pati, quàm frui in Cælis?

DISTICHON.

PLùs auet indè pati in terris, ác ætre beari:
Sic ſeruire magis poſſit vt ille Deo.

Ignarus, Nobilitate non gaudet.

DISTICHON.

Alluditur ad Ariſtotilem dicentem:
Quod ignarus, naturalitèr, ſit cuiuſuis mancipium.

SEruiat vt cunctis ignarus, oportet: an ergo
Qui liber non eſt, Nobilis eſſe poteſt?

IESU Redemptori
exprimit Auctor argumenta,
quibus ad patiendum pro illo excitatur.

DISTICHON.

TE patiente pati Domino volo ſeruus: amante
Nixus: amans: ſperans Te ſine fine frui.

Ad
D. Vailati Comitem, Roſæ Dominum, &c.
D. Balthaſarem de Roſales, &c.
priùs ad Mutinæ, &c. Ducem:
deindè ad Regiam Sabaudiæ Celſitudinem
extraordinarium pro Catholico Rege
Legatum, &c.
Academicum Faticoſum,
Virtutibus venuſtiſſimum.

DISTICHON.

FLos florum plures tuus halat ſtemmate odores
Virtutum: huic Flori floridus hortus ineſt.

Ad eundem Dominum Comitem
nunquàm Academicis Faticoſis Exercitationibus
non interuenientem.

DISTICHON.

DAs tot ab ore roſas; tot ſunt tibi mēte, Roſales;
Arbitrer vt cunctas miſerit Hybla ſuas.

Iuueni
ad inhoneſta propenſo.

DISTICHON.

OBſta laſciuo, cernens exordia, morbo:
Pharmaca naſcenti ſunt adhibenda malo.

Ad

Digitized by Google

IESUS Chriſtus, poſt vltìmam Cœnam, pro lauandis diſcipulorum pedibus, genuflexus.
Io. 13. 1.

DISTICHON.

TErgit Apoſtolicas Chriſti clementia plantas;
Illime vt noſcant eſſe ſalutis iter.

DE EODEM ALIUD.

DVm tergit plantas ſeruorum, Conditor Orbis;
Quis poterit poſthàc eſſe ſuperbus homo?

De impio exaltato, ad Magnatem.

DISTICHON.

HAud benè, cognoſcas, extollitur impius à te:
Vix elatus erit; te, ſine lege, premet.

Sapientem ſe dicenti, conſilium.

DISTICHON.

VT ſapiens operere, tuum, Vir, reſpice finem:
Hunc niſi reſpicias, inſipientèr ages.

Ad commune Sanctorum Patrum effatum:
Quod *Deus ſit Vita omnium*.

DISTICHON.

QVomodò Vita Deus? quia viuit; & omnia vitā
Ex hoc Vitali Fonte creata bibunt.

Ad D. Ioſephum Caſnedum
in Mediolanenſi Prouincia equitum Ducem,
nil minùs, quàm naturalium ſcientiarum,
moralium Virtutum
ſectatorem amantiſſimum;
noſtræque Faticoſorum Academiæ amiciſſimum:

De glorioſo illius Parentis, Martialis Herois,
obitu.

DISTICHON.

OCcidit egregius Cæli Sol Martis; at eius
Mors fuit aſcenſus Gloriæ inocciduus.

De Sancta Domo Lauretana.

DISTICHON.

TOtum mente tuâ Mundum percurre, viator:
Dic, ſimilem poſſis num reperire Domum?

Reſpondetur interroganti:
Qua ratione ex neceſſitate fit Virtus?

DISTICHON.

CVm mala te vexant, hæc eſt, patiare, neceſſe:
Euadet Virtus *indè* neceſſe *tuum.*

Inſipiens haud honore colendus.

DISTICHON.

SIſte: quid inſipienti homini tu reddis honorem?
Inſipiens, habito ſtultus honore micat.

Ad

Ad Sanctiſſimam MARIAM Virginem, appellatam à S. Andrea Cretenſi, Orat. 2. de Aſſumpt.

Diuini Archetypi Imaginem.

DISTICHON.

QVæ Dei imago nites, fac nos, Deitatis imago
Qui ſumus, vt paritèr ſimus imago tui.

De eodem argumento aliud.

FActa es imago Dei, Deitati vt Virgo placeres;
Vt tibi ego placeam, ſim tui imago, precor.

Studioſiſſimus Vir mentem ſuam deſcribit.

DISTICHON.

NVllibi ſtat mea mens, varijs agitata figuris:
Hic ea ſemper adeſt: hinc ea ſemper abeſt.

Auctor contemplatur ſauciatum Chriſti Domini latus.

DISTICHON.

VVlnus, Chriſte, tuo quid ſignat corde profundũ?
Fuſas pro me omnes ah! tui amoris opes.

Digitized by Google

Amico roganti, vt verbis defendatur.

DISTICHON.

QVanta queunt de te dici, tu dicis, amice,
Actibus: ergo meus ſermo ſuperfluus eſt.

Perferenda mala,
vbi declinari non poſſunt.

DISTICHON.

QVæ mala declinare nequis, tolerato libentèr:
Sicque, vel in bello, pax tibi dulcis erit.

In quendam, falsò, pulchrum ſe exiſtimantem.

DISTICHON.

ESt turpis tibi forma, mihi concede: memento:
Forma, licèt turpis ſit, ſua cuique placet.
Ex communi adagio.

Immaculata MARIÆ Conceptio.

DISTICHON.

Alluditur ad id, quod dixit Heſychius
hom. de Deipara:
Vniuerſum Trinitatis Complementum:
Ipſam vocans.

NOn vt homo, ſed uti Numen Cõcepta Virago es:
Cùm complementum ſit Trias ipſa tuum.

Ad

Ad Patrem D. Andream Agoſti
Clericum Regularem,
qui Mediolani,
in Faticoſorum Academia, humanioribus literis:
in Schola, ſacræ Theologiæ Profeſſione:
in Eccleſia, Concionandi peritiâ,
ſe ornatum probauit.

Cùm perquireret inter Deiparæ Virtutes maiorem.

DISTICHON.

MAxima ſtat quæuis Virtus, mihi crede, Mariæ:
Hinc illi maior nulla, nec vlla minor.

Bos, & aſinus Infanti IESU in Præſepio famulantur.

DISTICHON.

BOs, & aſellus, vterque Deo ſi ſeruit; vterque
Non vno Mundi plùs ſapiente ſapit.

Potentibus cedendum.

DISTICHON.

SI vis poſſe aliquid, dum viuis, cede potenti:
Poſſe tibi, quod ei ceſſeris, ipſe dabit.

Fati-

Faticoſorum Academiæ plauſus
Digniſſimo ſuo Principi
D. Franciſco Mariæ Marchioni Caſnedo
Martialium Fortificationum
in Inſubria Prouincia,
pro Catholica Maieſtate Præfecto Generali;
eiuſdemque Monarchæ ab arcanis conſilijs, &c.
incolumi è Bellonæ Caſtris redeunti:
Cuius Virtutem
cum Academica Pyramide perennaturam
auguratur.

ODE.

SVpreme noſtræ Palladis Arbiter,
Caſnede, gratis culta laboribus
Cui noſtra non illiberali
Pyramis erigitur Mineruâ.
Laborioſæ viue diſertior
Princeps Palęſtræ: Palladios tibi
Faſces, coronas atque doctam
Tradit honor ſpecioſus haſtam.
Te noſtra ſummis Principe Pyramis
Aſſurget aſtris, quæ ſolidâ baſi
Firmata dudùm recta ſtabit
Grande tui pretium laboris.
Subitque Virtus illa tua lemmate
Viuens perenni; conſtituit ſuæ
Virtutis Caſnedus trophæum
Palladiæ grauitate molis.

Beata Virgo MARIA
'Sanctum Ildefonſum Toletanum Antiſtitem,
quòd eius Virginitatem aduersùs hæreticos acritèr
defenderit,
veſte exornat candidiſſimâ.

DISTICHON.

ILdefonſe, MARIA ſuo te donat amictu;
Virginei vt niteas tutor in Orbe pepli.

Ad Sanctum ſenem Simeonem canentem:
Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, &c.

DISTICHON.

A Vita mortem, Simeon, petis? eh! pete vitam:
Nonniſi conſimilem reddere Vita ſolet.

Ad Reipublicæ Præſidem.

DISTICHON.

ERras, inuidiam ſi, vel tua commoda curas:
Ex iſtis curat Publica cura nihil.

B. Andreas Auellinus Clericus Regularis
ſummæ Vir abſtinentiæ à cibis.

DISTICHON.

Alluditur ad illud D. Pauli Toloſæ
Archiepiſcopi Teatini:
B. Andreas fuit perpetuum Orationis miraculum.

ORat perpetuò: ſuperâ ſaturatus ab eſca,
Sumere terrenas non amat ore dapes.

Ad

Ad D. Iacobum Comitem Meltium, dulciſſimum, ob luculentas animi dotes, Equitem, noſtræque Faticoſorum Academiæ Auditorem frequentem.

De Viro ſapiente.

DISTICHON.

NOn trepidat ſapiens hæc inferiora pericla:
Corpore nanque ſolum; mente ſed aſtra colit.

Ad Beatiſſimam Virginem MARIAM.

DISTICHON.

Alluditur ad Richardum à S. Laurentio lib. 11. de laud. B. V. explicantem illud Sapientiæ cap. 14. 5. *Tranſeuntes Mare: per ratem liberati ſunt*, ſic: *Tranſeuntes Mare, ideſt Mundum: per ratem*, ideſt Mariam, *liberati ſunt*.

IN turgente Salo mortalis fluctuat omnis:
Omni ſuccurras Ætheris alma Ratis.
Ex Terentio in Andria act. 3. ſc. 1.

In quendam iuuenem nimis præſumentem.

DISTICHON.

NE velis eſſe ſtatim ſapiens: venit vſus ab annis
Immaturus adhùc, & nimis es iuuenis.
Ouidius 10. Metamorph.

De

De humana ingratitudine in Chriſtum Dominum.

DISTICHON.

NVlla fera in terris viuentem læſit IESVM:
Læſit homo: ingratus plùs fuit ergo feris.

De glorioſæ DEI Matris pulchritudine S. Antonini Arch. Florent. p.4. tit. 15. cap. 45. ſententia;

Beatiſſima iſta MARIA pulcherrima corpore, pulchrior animâ, & admirabilis oculis omnium.

DISTICHON.

OMnibus illuxit pulcherrima corpore viuens;
Pulchrior aſt animâ: miraque Virgo fuit.

Ad Patrem D. Ioſeph Mariam Cumianam Clericum Regularem S. Laurentij Taurini Præpoſitum, Verbi DEI præconem maximè facundum, ſapientem, & ſuauem.

DISTICHON.

GAudeo, quod ſpondent hinc Ioſeph, indè Maria
Felix auſpicium, Nomen vtrumque tibi.

De Diſticho, ad quendam Rhetorem.

DISTICHON.

GRande quid, eſt paruũ, mihi credas, Diſtichon: in ſe
Scilicèt exiguo grande coarctat Opus.

Virtus in certamine maior.

DISTICHON.

NOnnunquàm creſcit Virtus in pace; ſed illa
In bello ſemper grandis ab hoſte redit.

Auctor,
vbi Crucifixum Dominum in ſuo corde conceptũ;
et amariſſimas vnà lacrymas meditatur
Beati Aloyſij Gonzagæ è ſacra Soc. IESU
ab intuitu ſcopuli, in quo erát Crux ſculpta.

DISTICHON.

VT Gonzaga Crucem in ſcopulo videt, illacrymatur:
Stas, Crucifixe, mihi ſaxeo: an indè fleo?

Illuſtri Oratori facundè oſtendenti;
plùs Poetam vinctis,
quàm ſolutis dictionibus Oratorem, valere.

DISTICHON.

ORator quin Vate queat mage corda mouere,
Hinc liquet: ad te vnum carmina plura trahis.

Ad

Ad Comitem D. Ioannem Petrum Verri
inter veras cuius Virtutum laudes
recenſenda quoque illa eſt :
quod Beatiſſimæ Virginis MARIÆ
Conceptionem immaculatam,
ipſiusque apud Nos Sodalitium,
ſanctâ ei ſolertiâ proſequi
in more eſt.

VIRGO MARIA.

Anagramma.

MIRA VIRAGO.

Refertur ad Immaculatam Conceptionem B.V.M.
multasque eius Virtutes.

TETRASTICHON.

M*iramur, quod, ubi concepta eſt Virgo Maria,*
Vicerit horrificam mira Virago *ſtygem?*
Sit, quod & in terris virtutibus omnibus aucta?
Mira Virago *Poli Virgo Maria fuit.*

De infelici Iudæ interitu.

DISTICHON.

D*iſrupto Iudas ventre expirauit: ad orcum*
Debuit hac turpis ſpiritus ire viâ.

Cui-

Digitized by Google

Cuidam nimiùm dolenti admonitio.

DISTICHON.

Alluditur ad Iuuenalem Satyrâ 13. dicentem:
flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe Viri:

NOn debet dolor eſſe Viri flagrantior æquo:
A Virtute Virum quippè vócare decet.

Amico ſuadetur in patiendo perſeuerantia.

TETRASTICHON.

Alluditur ad illud Matthæi c. 10. & 24.

Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

QVi cupit æternæ felicia gaudia vitæ,
Aſſiduè patiens iſte laboris erit.
Vincit, qui patitur conſtans; palmâq; potitur
Quisquis ad extremam ſcit tolerare diem.

Deſideranti otium à ſe proſcribere.

DISTICHON.

OTia vis à corde tuo, piger, abdere? Cælos
Inſpice: per gyrum ſemper aguntur, agunt.

Ad

Ad D. Philippum Mariam Vicecomitem Iuris Conſultum Collegiatum Mediolani, Equitem,
aureæ vt iuſtitiæ, ità & charitatis in Patriæ ciues:
qui eum non ſemel ſibi Præfectum quàm libentèr habuere.

Quænam Reſpublica floreat?

DISTICHON.

Alluditur ad illud Solonis Salaminij, vnius è ſeptem Græciæ Sapientibus:
Ea Reſpublica floret, in qua boni honore; mali verò ſupplicijs afficiuntur.

TVnc floret, quando Reſpublica debito honore
Afficit æqua bonos, ſupplicioque malos.

An plùs peccet, qui detrahit? an, qui detrahentem audit?

DISTICHON.

Alluditur ad illud S. Bernardi in Sermonibus:

Quidnam eſt maius peccatum? illius, qui detrahit; an illius, qui detrahentem audit? Vterque diabolum portat: ille in ore: hic in aure.

PLùs an detractor? vel, huic qui porrigit aurem,
Peccat? in ore alius fert Stygem: in aure alius.

De Medicis.

DISTICHON.

D*At Galenus opes Medicis, non viuere felix:*
Quòd cibus his ſolus ſint aliena mala.

De morte ad amicum.

DISTICHON.

F*Allere vis mortem, cùm ſis mortalis? in illam*
Reſpice ſemper: ab hòc tempore, diſce mori.

Naſcente IESU, mediâ nocte lux clariſsima viſa.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Io. 8. à Redemptore prolatum:
Ego ſum Lux Mundi.

T*E denſæ noctis tenebræ naſcente fugantur:*
Te Lucem *nobis ergo quis eſſe neget?*

In Iudicem ad ignoſcendum reis nimis propenſum.

DISTICHON.

P*Arce bonis: ideòque malis nè parce: nocebis*
Illis, ſi parcas ex pietate malis.

Ex mimis Publianis.

Ad Patrem D. Alexium du Buc
Clericum Regularem
mirâ Concionandi facundiâ,
& controuerſiarum Fidei doctrinâ
refertum:
quibus plurimos hæreticos in Galijs peperit
Catholicæ veritati;
ac proindè à Chriſtianiſsimo Rege,
Regnorumque eius Eccleſiaſticis
multiplici fuit munere cumulatus.

DISTICHON.

TE obtinuiſſe decus, reliqui lætentur; ego Te
Obtinuiſſe minùs, quàm meruiſſe cano.

Mulieris Loth in Salis ſtatuam tranſmutatio.

DISTICHON.

O Metamorphoſim lepidam! ſalis en noua imago!
Inſipiens mulier, quæ ſale inanis erat.

In quendam, proſperæ Fortunæ
causâ, deſipientem.

DISTICHON.

SOrs tui amans non eſt: amens fortuna videtur;
Amentem vel te reddere tentat amans.

S. CAROLUS BORROMÆUS
S. R. E. Presbyter Cardinalis,
Mediolani Archiepiſcopus, &c.
crudeli fiſtulæ globo percuſſus, & nihil læſus.

EPIGRAMMA.

D. Bernardino Scotto
Iuris Conſulto Mediolani Collegiato,
Abbati S. Io. in Deſerto Geruatenſis Diœceſis,
ſacræ Rotæ Romanæ Auditori
Generis, mentis, animique ſplendoribus clariſsimo,
amicitiæ verò legum Splendori.

INſueto quonam defenditur vndique ſcuto
Carolus? hic factus qua fuit arte chalybs?
Ictus ferali iacit improba dextera ferro:
Impia contorquet plumbea tela manus.
Vix tamen Herois corpus pila bellica tangit;
Quod, velut ingenti turbine pulſa, redit.
Cur trepidas flamma? & cur vrere deſinis artus?
Reddere an immerito funera dira timet?
Vnde hæc ſegnities, vel in ignis viribus, extat?
Ænea glans fervet: tutus & ille manet?
Ah noui cauſam! validis munitur ab armis:
Paſtorem Pietas contegit alma ſacrum.

In quendam peccatorem.

DISTICHON.

NVlla ſonant, inquis, tibi in aure tonitrua pœnæ:
Sera ſolet tacito pœna venire pede.
Ex Tibullo lib. 2. Eleg. 9.

Ad

Roſa
quarè vepribus ſepta?

DISTICHON.

CVr Natura roſam ſpinis circumdedit? eius
Regales facilè nè raperentur opes.

Ad D. Orlandum Vicecomitem
Metropolitanæ Mediolanen. Eccleſiæ Præpoſitum,
prudentiâ, & morum innocentiâ,
vt ſuæ Stirpis claritate, præcipuum:
qui in noſtra Faticoſorum Academia aſſiduus eſt;
ſuâque in literatos beneuolentiâ,
animum in eiſdem adauget.

De noſtrî ipſorum victoria.

DISTICHON.

NIl minùs eſt, vinci pro Chriſto, ac vincere; quin (eſt:
Vinci: ſeu ſe ſe vincere, maius Opus.

De eodem argumento aliud.

SI quis ſe vincat, dicetur victor, & vnà
Victus; at inuictus nonniſi victor erit.

De mundana prudentia.

DISTICHON.

ABſque Deo, miſeri inſana eſt prudentia ſæcli:
Solus, cum Domino qui ſapit, ille ſapit.

Diuini Amoris ſimulacrum ex ſacharo conflatum.

EPIGRAMMA.

SAcbareus ſit diuus Amor: quid temnis Amorem,
Improbe, cùm dulcem ſe facit eſſe tibi?
Sachareus ſit diuus Amor: ſit dulcis amanti:
Optanti ſiet dulcis & ipſe tibi.
Si tamen hæc temnis diuini ſachara Amoris;
Verus amor non eſt; ſed tibi virus ineſt.

In quendam.

DISTICHON.

CÆtera, queis ſplendes, Fortunæ dona fuere;
Nì Virtute nites, nil tibi de tuo habes.

Qui populis præſidet, perſonarum acceptor eſſe non debet.

DISTICHON.

QVàm benè Virgilius! Rex Iuppiter omnibus (idem;
Vt quicunque præeſt, ſic agat, ille monet.
Æneid. 10.

De tenebris in Redemptoris noſtri IESU morte.

DISTICHON.

NOn miror, quod cuncta tegat nox, morte tegente
Solem; lux cuius ſpargit vbique diem.

Ad D. Andream Puſterlam
Collegij Ambroſiani Doctorem,
Oppidi Abbiati Craſſi Præpoſitum, &c.
Academicum Faticoſum,
LE DISCRETO.

De Simulacro B. Virginis Deiparæ
geſtantis Deum cum Mundo.

DISTICHON.

QVàm valido ſuperet pia robore Virgo Gigantes,
Indè ſcias: Mundum qui gerit, vna gerit.

Caluo canum irridenti reſpondetur
per tritum Prouerbium.

DISTICHON.

QVi rides canum, caluus ridendus es: illi
Quamuis poſterior, plauſibus hiſce præis.

De Paſſione IESU Chriſti ab eodem omninò impreſsâ, & perſeuerante etiam poſt mortem
in corde Beatæ Claræ à Cruce
è ſacro S. Auguſtini Ordine.

DISTICHON.

SCulpſit amans Claræ cordi ſua flagra Redemptor:
Immortale docet viuere amoris Opus.

Sponſæ ad ſpeculum ſe ornanti.

DISTICHON.

SPonſa tuo compone vitro vultumq; animumque,
Vt Sponſo placeas Ætheris, atque ſoli.

Ad facilè iraſcentem amicum.

DISTICHON.

Alluditur ad Philoſophi documentum aduerſus iram.

TE ſubit ira citò; quæriſque remedia? ſiſto:
Ni potes hanc ſubitò vincere: vince morâ.

Infans IESVS inter Deiparæ vlnas.

DISTICHON.

DVlcius eſne ſinu diuini Patris? an illo
Matris? dulcius hic ſum: quòd vtriq; placet.

Deſperantis hominis effigies.

DISTICHON.

EXpes omninò mihi, amice, videris: habere
Quippè malum diſtans vis, propiuſq; fugis.

In mendoſum.

DISTICHON.

NOn miror, ſcateas erroribus: orbus in illis
Menteque ſis: mendæ nocte latere ſolent.

Beatus Andreas Auellinus Clericus Regularis
diſpoſitus, ſibi oculos eruere,
pro ſalute impudicæ fœminæ illis captæ.

DISTICHON.

NOn oculos fodio, nec, Amaſia, dono: Cupido
Nè videar cæcus: nè videare Venus.

DE EODEM ALIUD.

CApta meis oculis, mulier, ſis, gaudeo; eoſdem
Mittam; flere iſtis ſi malè facta velis.

Ad amicum quendam.

DISTICHON.

TV mihi amicus ades certis in rebus; in iſtis
Rebus, & incertis ſum tibi amicus ego.

DEUS
hominis induſtriam adiuuat ad ſalutem.

DISTICHON.

VT ſaluus fias, ſolers attende ſaluti:
Solertes ſolers Numen ab Axe iuuat.

Con-

Concionatori P. D. Auguſtino Pallauicino
Clerico Regulari,
ob eruditionem, eloquentiam, doctrinam,
qua ad animarum ſalutem valet,
diuinæ ſane Palladi vicino.

De S. Ambroſio Mediolani Antiſtite
militiæ deditis aduerſante.

DISTICHON.

AMbroſij genio cur diſplicet aſſecla Martis?
Nam Mars eſt Veneris, Mercurijque ſequax.

DE EODEM ALIVD.

NOn amat Ambroſius, quod quis ſit miles? abhorret,
Ah! ſit quis terræ miles; at Axis, amet.

In ſenem iuuenilibus crapulis deditum.

DISTICHON.

TE variaſſe pilum cerno; mutaſtene vitam,
Cerno? ſolet vitium non variare lupus.

Abſtracti hominis imago.

DISTICHON.

QVi videt abſtractũ, præſens ſit, neſcit, an abſens:
Eſt vno præſens tempore, & vnus abeſt.

In

In genitorem malè filios ſuos educantem.

DISTICHON.

O Captũ patrem! non vis reprehendere gnatos?
In gremio colubros noſce, quòd ipſe foues.

Affectus ad IESUM Crucifixum,
ob audita Beatæ Margaritæ Cortonenſis conuerſionem, catellâ occiſum amaſium oſtendente.

DISTICHON.

VT canis indicio cæſum lupa cernit amantem,
Pœnitet: ecce meus cæſus Amor! quid ago?

Semper clariſſima, & immaculata
Deiparæ Conceptio.

DISTICHON.

Alluditur ad dictum, quod creditur Diui Bernardi in meditat. ſuper *Salue Regina*, appellantis Mariam *Deitatis radium*.

NOn vt homo, ſed, vti Numen, Concepta Maria (eſt:
Æterni radius Solis amatus erat.

In Mundi errorem ſatis vniuerſalem:
Pro indecora ſiquidem re, à fœmina Heroes vinci, habent; à Venereis tùm vinci nihili faciunt concupiſcentijs.

DISTICHON.

QVæſo, quis hic error! non vinci fœminæ ab aſtu,
Velle viros: vinci à Cypride ſeque pati!

D: Io-

D. Paulo Cernuſchio
Metropolitanæ Mediolani Eccleſiæ
Canonico Ordinario:
Qui, piâ omninò integritate,
Immaculatam Deiparæ Conceptionem,
eiusque illuſtriſſimam penès nos Sodalitatem
frequens colit.

Super illa: *cùm natus eſſet IESVS*, &c.
Ecce Magi ab Oriente, &c. Matthæi 2. 1.
quarè ſileatur ab Euangeliſta, quod ſint Reges?

DISTICHON.

CHriſticolæ Reges cur ſunt ſine Nomine Regum?
Eſt vbi Rex Regum, Rex ibi quisque ſubeſt.

DE EODEM ALIUD.

SI Reges fuerant, Reges cur eſſe tacentur?
Eſt vbi Rex Regum, ſolus vbique ſonat.

In timidiſſimum hominem.

DISTICHON.

TE, miſer, eſſe negas pauidum: vis noſſe, timere
Te? tua tot tenuis territat vmbra tuam.

Deſideranti amici ſui deſcriptionem.

DISTICHON.

QVis ſit amicus, amas, tuus, ergo ſcire? duabus
Huic ſellis ſemper, ſcito, ſedere placet.

Ad

Ad
IOANNEM BAPTISTAM SPINULAM,
S. R. E. Diaconum Cardinalem tit. S. Cæſarei,
Cameræ Apoſtolicæ Præfectum:
Principem
doctrinâ, rerumque agendarum ſapientiâ
cum paucis comparandum;

B. Andreas Auellinus Clericus Regularis
miræ in proximum charitatis:
ideòque ab inferis maximoperè petitus,
ex immminenti ab eiſdem excitato
inter Maris vndas naufragio
Victor.

CARMEN HEROICUM.

FActa, Virumque noui Caſtri, *qui venit ab oris*
Nunc canere incipiã; nitidas qui bombice veſtes
Riſit in obſcuro Noſtratum lætus amictu;
Edocuitque citò perituras temnere ſæcli
Blanditias, multùm terris agitatus, & alto,
Vi Stygiâ: memorem tenebrarum Regis ob iram.
Multa quoque & vita ſtricto diſcrimina ferro
Perpeſſus, raptis dum luſit cordibus orcum;
Virtutemque ſerens animis; quo Numinis Ædes
Creſcebant populo; paſſimque odiſſe tabernas
Cernere erat gentes; nec non turpiſſima in vrbe
Templa Deæ Veneris vitare; frequentèr ad ipſa
Confluere aſſuetam turbam ſine lege vagantem
Ætheris; ætatis ſtimulosque effrenis amantem.
Muſa mihi cauſas narra, quo crimine lapſum
Numinis Atlantẽ; reuehant Phlegetõtis in vmbris.
Hoſtis,

Hoſtis, cur pelagi turbare ſit auſus in vndis.
Tantane tartareis in iuſtos, tanta poteſtas?
Vrbs viret: Italiæ ſpatioſo clauditur aluo,
Penelopes, miris colles imitata; nec vlli
In numero cedit populo numeroſior vrbi:
Illa recèns natam, Petro præbente magiſtro,
Excipit aptato, quæ vera eſt ſemita Cæli,
Corde Fidem; nullis corruptaque virgo perennat
Temporibus, longè diſiectis cognita terris.
Hic latè ſtygius cœpit ſua Regna Tyrannus
Spargere: iamque pios vitijs corrumpere mores
In populo: prona hic ventis inflare ſuperbis
Pectora; mortifero hic ſæuire Cupidinis arcu:
Imperio & Veneris captiuam ſubdere gentem:
Nunc alios tentat damnoſis mergere Bacchi
Delicijs: alios vinctos tenet æris amore
Iniuſti; hinc furtisque viam, trucibusq; rapinis
Pandit; & omnigenam longè iam pellit ab vrbe
Iuſtitiam: denſâ ſcelerum caligine clarum,
Quotidiè excurrens, Virtutum præpedit ortum.
Iam diros cæcis irarum ſubijcit ignes
Mentibus; æternos nec non manante per vrbem
Sanguine conflictus nutrit: nunc Templa miniſtris
Exuit; immanique ſacer nunc læditur Icon
Contemptu; & paſſim miſcentur ſacra profanis.
Hæc quando Andreæ vitiorum cernere monſtra
Contigit; Æthereo mox arma furore miniſtrans
Exurgit: Regno tenebroſo fata minatur
Vltima; dum primo ſcelerum certamine, mater,
Illius ante pedes, confeſſa ſuperbia ſpirat.
Hic cunctis animus caſto ſuccenſus amore
In cineres, carnis laxus, agit impiger; arcem
Funditùs indè gulæ; ſancto moderamine victus
Euertit; ſubitòque malâ virtute potentem

Pellit

Pellis auaritiam; diras prohibetque rapinas.
Hinc ſine iure ſuo pulſam de ſede redonat
Iuſtitiam; vacuasque malis, Virtutibus ædes
Occupat; & furias tercentum vincit ahenis
Manſuetus nodis; vaginis mancipat enſes
Perpetuis: Templo votis, populisque repleto,
Ablatum verum Factori reddit honorem. (ni,
Quas voluens parcas Napalus, quem sūmus Auer-
Vrbi præfecit princeps, conſumitur irâ
Tartareâ; & victus premit altos corde dolores:
Viribus hinc cunctis Victoris morte ruinas
Vlciſci cupiens, ſimulat vitare futuros
Aggreſſus; pelagi rabidis circumdabat vndis
Andream; ſummisque hæſit pia vita periclis:
Tantæ molis erat, laxos componere mores.
Vix ille Æquenſem ridente reliquerat auram
Oceano; atque, animas ſitiens, rediturus in oras
Penelopis, zephiro puppim cogente volabat;
Cùm Napalus ſeruans æternum corde furorem,
Hæc tacitus ſecum: me ne hac Andreolus vrbe
Expellat? ventoque vagus noua fata minetur?
Nec faciam mergi, populo ridendus ab omni?
Quippè vetor fatis? vaſtas nonne æquore claſſes
Abſorbſi? nonne ingentes quoque fulmine terris
Arces æquaui? nonne horrida prælia moui?
Vnius ob famuli iacturam læſus? at iſtum,
Tot mihi ſublatis, patiar ſic currere velis
Incolumem? quis, quæſo, meis conceſſerit aures
Imperijs? noſtrûm poſthàc quis ſceptra timebit?
Talia creſcenti præbens alimenta furori
Hoſtis; ſolicitos, magnumque per aera greſſus
Conficiens, ſalſo primùm torrente potitur.
Hinc multùm chari gaudens ad Regna Salimpi
Peruenit? is certâ dominatur miſſus ab orco

Lege,

Digitized by Google

Lege, nutu Deo, mediam ſuper æquoris vndam
Sede manens, vigilatque dies, noctesq; per omnes
Latè proſpiciens pelagum, ſi fortè daretur
Vndarum cumulo claſſes animabus onuſtas
Perdere; ſicque nouis tenebras recreare paternas
Lætitijs: proprium queis eſt gaudere ruinis:
Hunc Napalus ſimili ſuſpirans voce precatur:
O dilecte mihi, pontum cui facta poteſtas
Turbare; & noſtri generis qui damna reſarcis:
Plurima læſa meis iniuria: læſa tuisque
Imperijs: totique Stygi; ſed criminis auctor
Andreas, omni qui me nudauit honore,
Ludificans perſepè meos in gentibus aſtus
Agmine Virtutum: facilis tamen iſta ſilerem,
Ni grauiora ferus feciſſet vulnera; raptas
Dum ſolus tot prædas felici innexit Olympo;
Quas nunquā renocare datur. Nec plura querentē
Suſtinuit ſocius: vindictas annuit; atque
Andreæ vaſto nauim ſubmergere fluctu
Iurat; & inductum tetro velamine Cœlum
Plangere non nocui ſortem ſua lumina Phœbus
Denegat; & pontum rugiendo ſuſcitat eurus;
Vndarumque frequens conſcendit machina nubes,
Vt ruat immani ſonitu; micat ignibus Æther;
Quos ingens ſequitur murmur: velùt area Martis,
Fulgure præmiſſo, ſtrepitant tormenta; pauentes
Iam perdunt animum nautæ, dum prora furenti
Nunc dextrum pelago præbet latus, indè ſiniſtrum
Exponit, nunc rapta vndis portatur ad aſtra;
Hinc præceps, vt petra, cadit, miſerabile viſu;
Extremique monet caſús: nam concipit vndam,
Perniciem paritura: metum cumulatq; charybdis;
Præſentemque Viris intentant omnia mortem.
Hæc inter ſolus firmo ſtat corde pericla
Andreas;

Andreas; lapſosq; animos, his vocibus vſus,
Erigit: o comites, veſtrûm quis poſſidet ora
Pallor? & vndè rigent tàm triſti membra pauore?
Nanque pium miſeris nullo ſcit Numen abeſſe
Tempore; Cui, velis commiſſis, atque carinâ,
Viuite; & afflictis meliùs confidite rebus.
Sic ait, emittens validas ad ſydera voces
Ipſe prior: mirum! ſubitò miteſcere Cælum,
Et miſſum iam iam telum reuocare videtur
Flammiferum, nimbosque tenet; vultusq; ſerenat,
Nubibus abſterſis; furijs feſſusque quieſcit
Oceanus: mæſtum ventis repetentibus antrum;
Fulgoresque omni Phœbus communicat Orbi.
Tantos Andreæ damnato de hoſte triumphos
Contulit alma fides; quot quot fortuna fatigat
Hoc animare poteſt nulli Virtute ſecundus
Heros cæleſti: qui tot diſcrimina paſſus,
Nectare potatur ſuperûm ſublimis in Axe;
Diuinisque micat radijs; miracula cuius
Concomitata diem mortis ſacra monſtra fuere;
Hunc lacrymis, votis, & cordis voce precemur,
Illius ante Aram fuſi, dignetur vt actus
Conformare ſuis, noſtrosque iuuare labores.

In Iudam Iſcariotem,
dicentem in IESU proditione Iudæis:
Quid vultis mihi dare? & ego eum vobis tradam?
Matth. 26. 15.

DISTICHON.

VEndere ſi multò vis Chriſtum: vende Mariæ
Matri; vel pluris Magdala diues emet.

ALIUD DE EODEM:

VT tradam vobis, qui tradit quinque talenta,
Quid mihi vos vultis tradere, ſumma cohors?

DE EODEM ALIUD.

VOs mihi quid vultis dare? Iudas dicito, de quo?
Diſcipulum puduit: quippè Magiſter erat.

Amico.

DISTICHON.

Alluditur ad Prouerbium tritum:
Sat citò, qui ſat benè.

NOn doleo, fueris tardus mihi, amice, fauore:
Sat citò *nanque fauet*, ſat benè quiſque *fauet*.

Se excuſans tangitur.

DISTICHON.

NOn erraſſe, mihi te ſuadens, noſceris errans:
Diſce, quod ex cantu noſcitur omnis auis.

De infideli amico ad fidelem.

DISTICHON.

MIrarîs, quod amicus homo tę offendat amicum?
Scito, quod infidus neſcit amicitiam.

De raptu S. Pauli Apoſtoli in tertium Cælum,
vt ex 2. Corinthior. 12. 2.
eiuſdemque Apoſtoli in terram caſu,
vt 9. Actuum 4.

DISTICHON.

CHarior in Cælum raptu, tibi caſus, opinor,
In terram fuerit; nam fuit indè ſalus.

DE EODEM ALIUD.

SAulus equo excutitur: rapitur ſuper Æthera (Paulus:
Chriſti hoſtis Saulus; Paulus amicus erat.

In bona reſpuentem conſilia:
ideòque non paucis obiectum malis.

DISTICHON.

VIx doleo, tibi ſuccedant mala plura: meretur
illa, bonum ſolitus ſpernere conſilium.

Meliorem ſortem mendicanti in Prouinciarum
peregrinatione.

DISTICHON.

NE, terram peragrans, meliorem quærito ſortem:
Mortem, non ſortem, ni reperire velis.

Ad Patrem D. Gregorium de Baucio
Clericorum Regularium,
Generalem dudùm Præpoſitum,
eorundem nunc Conſultorem,
in excitando ad literas, & Virtutes
flagrantem;
flagrantiſſimum porrò
in celebrandâ
DEI Genitricis
Conceptione Immaculatâ.

De Immaculatâ Beatiſſimæ Virginis Conceptione,
ſuper illud Eccleſiaſt. 24. 14.
Ante ſæcula creata ſum, &c.
Quod de Matre DEI exponitur à B. Dionyſio Carthuſiano, Hugone Cardinali, & alijs:
præſertim verò à Ruperto Abbate in Cant. 2.
ijs verbis:
Elegit me ante Mundi conſtitutionem, ut eſſem immaculata.

DISTICHON.

IN ſæclis concepta, prior benè dicor eiſdem:
Nam carni in ſæclis labe Parentis Adæ.

Auctor,
vbi amico ſuaſit, ſub MARIÆ Patrocinijs viuere,
ſe explicat.

DISTICHON.

Viuere ſub Genitrice Dei, ſcis, quid ſit, amice?
Cæleſti in terris ducere ſorte dies.

Io-

Ioſeph
relicto in manu Putipharis vxoris, à qua ad peccandum ſolicitabatur, pallio, fugit; & egreſſus eſt foras. Gen. 39. 12.

DISTICHON.

Ne fugias: potiùs laſciuam corripe ſanctè:
Sanctiùs eſt: bellis vincere in hiſce fugâ.

DE EODEM ALIUD.

INueſtis Veneri veſtem concedit Ioſeph;
Vt faciem impuram fila pudica tegant.

Ad illud S. Pauli Apoſtoli 2. Corinth. 12.
Datus eſt mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet:

Quod à S. Hieronymo, & S. Auguſtino lib. 6. c. 11. contra Pelagianos intelligitur de carnis concupiſcentia.

DISTICHON.

TE, Paule, excrucians quis dæmonis Angelus hic (eſt?
Indiuiſa mihi eſt, & ſine pace, caro.

DE EODEM ALIUD.

PAule, quis hic Satanæ fuit Angelus? ah! caro: (dæmon,
Veſte ſub Angelica, dæmone peior erat.

Vir pius, corpore æger, balſamum offerenti reſpondet.

DISTICHON.

NOn ex Arabiæ ſtillantia cortice; ſed quæ
De ligno ſtillant balſama poſco Crucis.

Iterùm reſpondet.

BAlſama nulla volo, niſi Chriſti vulnera: ſanus
His animo fieri, ſaluus & hiſce volo.

In iuniorem ſeniores colere detrectantem; iisque ſe magis ſcire iactitantem.

DISTICHON.

A Sene diſce: cui ſedet experientia maior:
Imberbem, nimis eſt, velle docere ſenes.

In N. N. bibacem, & impudicam fœminam.

DISTICHON.

VIna tibi, mulier, deſint, eris & citò caſta:
Nam friget, Baccho deficiente, Venus.
Ex Terentio.

Ad Problema Faticoſorum Academiæ Quarto Calendas Ianuarij, Anno MDCCL. pro Sancto Carolo S. R. E. Presbytero Cardinali Mediolani Archiepiſcopo, &c. nec non eiuſdem Academiæ Protectore: *An S. Carolus propter Sanguinis celſitudinem; an propter cordis humilitatem fuerit maior?*

EPIGRAMMA.

VIx optat Generis Caroli celebrare canora
Magnum Muſa decus; ſoluere labra nequit.
Grata loqui flagrat tot amicos inter Olores;
Aſt, humilis *Caroli voce ſonante, ſilet.*
Cùm mortalis eram, veſtrum Problema reſolui,
Borromæus ait: ſat cuicunque patet.
Ecce meæ diadema Domûs demiſſio *geſtat:*
Hæc aliud Grandem *me ſuper omne facit.*

De eodem Problemate Diſtichon.

NObilitas ſenſus; animas demiſſio *Grandes*
Efficit: hac Carolus Grandior indè fuit.

DE EODEM ALIVD.

NObilitas Magnos terræ: demiſſio *Cælo*
Nam parit; hæc Carolo gloria maior erat.

ALIUD DE EODEM.

Maximus vndè fuit Carolus, qui ſãguine magnus?
Creuit, ſummè humili *quòd baſe nixus erat.*

S. Bernardus in ep. *Vis capere celſitudinem Dei? cape priùs humilitatem Chriſti.*

S. Ambroſius ſuper caput 6. Lucæ: *Nihil excelſius humilitate.*

Ad D. Carolum Comitem Burrum,
Academicum Faticoſum,
IL CONTRASTATO,
Oratorem de prædicto Problemate præcelſum.

EPIGRAMMA.

CVr humilem Carolũ Carolus ſuper eleuat Axẽ?
Non fuit & Carolus Nobilitate potens?
Nobilitas erat, haud demiſſio *ad aſtra ferenda;*
In terris, iſtâ dignior illa micat.
Erramus: magis eſt demiſsus habendus in Orbe,
Cùm mage ſit ſummo proximus ille Deo.
Hinc meritò Carolum Carolus ſuper extulit alter:
Altâ Stirpe, humilis *corde quòd ille fuit.*
Hinc celſus licèt à nobis Orator haberis;
Quòd ſis corde humilis, *te magis efferimus.*

De Nobilitate, & Humilitate.

DISTICHON.

SAnguinis eximius nitor eſt: demiſſio *vincit*
Sanguinem: vti ſuperat lumine Sol radium.

De lumine ſupra naſcentis Caroli Arcem coruſcante.

DISTICHON.

QVid Caroli ſplendet lux ad cunabula? charum
Hac Carolum Ieſus vult ſibi ſorte parem.

Ad

Ad Beatiſſimam Virginem MARIAM,

De eius laudibus.

DISTICHON.

ASTra ſuis numeris: numeris æquantur arenæ:
Non ſatis hi poſſunt laudibus eſſe tuis.

AD EANDEM ALIVD.

QVæ valet exiguo Mare mens concludere in al- (ueo,
Sola poteſt laudes ferre, Maria, tuas.

Iniuſtè dolenti de grauitate legis Chriſti.

DISTICHON.

Allud. ad illud S. Ambroſij lib. 7. com. in Lucæ 11.

Lex intrà menſuram eſt,
vltrà menſuram Gratia.

INtrà menſuram Lex eſt: exclude timorem;
Vltrà menſuram Gratia: fide Deo.

EIDEM ALIUD.

VIs, vt, amice, tibi graue non ſit pondus IESV?
Cum IESV, haud ſolus, fer; leue & illud erit.

Re-

Regij Sabaudiæ Ducis Theologo, & Conſiliario,
Patri Fr. Angelo Mariæ Saluatori
è ſacra Seruorum B. Virginis Familiâ Magiſtro,
Academico Faticoſo,
L'INCOGNITO,
Poeticæ Artis felicitate eximio.

DISTICHON.

CVm multis non miror ego, quòd cælica pangas:
Te noui Angelicâ *tangere plectra manu.*

SANCTUS CAIETANUS
Clericorum Regularium Patriarcha
ſimplici benedictione
incurabiles curans morbos.

DISTICHON.

QVisq; patraſſe modò te fert miracula; quando
Omni dextra carens arte, dat artis opem.

Cur Auctor parùm loquatur?

DISTICHON.

ZOile, nè culpes mea multa ſilentia: paucis
Sat pro me dicit Pythagorea Schola.

Apertiùs redditur de tali ſilentio cauſa.

DISTICHON.

SCis cur verba meis fundam pauciſſima labris?
Quàm placet ore, placet plùs mihi, mente loqui.

Ad

Ad
D. Olympiæ
Marchionis Pallauicinæ Triuultiæ
Sepulchrum,
In noſtro S. Antonij Mediolani Templo,

INSCRIPTIO.

Ante hoc ſacrarum Reliquiarum Sacellum,
Quotidiè, & perpetuò pro defunctis
Priuilegiatum,
Olympiæ Pallauicinæ
Marchionis Galeatij, & Fuluiæ Martinenghæ
iugalium
Filiæ,
ex Comite, ac Regio Senatore Georgio Triuultio
Viduæ,
Dominæ beneficentiſſimæ
A Clericis Regularibus conceſſum:
Marchio Georgius Pallauicinus Triuultius
Pronepos
Tumulum Legato conſtituit,
Marchio Io: Georgius Pius Marchionis Georgij
Patruelis
Hæres
Conſtrui mandauit.
Salutis Anno MDCCII.

Ad

Ad D. Io. Baptiſtam Littam
Iuris Conſultum Mediolani Collegiatum,
Canonicum vulgò Ordinarium
Metropolitanæ Eccleſiæ,
Academicum Faticoſum,

L'ACVTO:

ſanè talem, ſemper aliquid cùm dixit
in Faticoſo Lyceo.

De latrone ad Chriſti dexteram crucifixo.

TETRASTICHON.

SEmper latro ſuâ eſt fortunatiſſimus arte:
Furatur viuens; & moriendo rapit;
In melius nouit ſua ſed conuertere furta:
Iam res terrenas non rapit; aſtra rapit.

Ad DEUM Auctor.

DISTICHON.

Alluditur ad 2. Sap. *Ex nihilo nati ſumus; & poſt hoc erimus, tanquàm non fuerimus;*
nec non ad tot SS. Patrum dicta,
in *Nihilo* miſeram humanitatem noſtram exprimentia.

S*Vm* nihil, *ex* nihilo, *in* nihilum *rediturus in ictu:*
Nì facias aliquid me tuo amore, Deus.

Dum

Dum in noſtra Faticoſorum Academia,
Tertio Nonas Februarij,
Anno MDCCII.
Solemniori pompa exciperetur

D. IOSEPH ARCHINTUS

Faticoſus Academicus,

IL DISVNITO:

Mediolani Archiepiſcopus,
S. Rom. Eccl. Presbyter Cardinalis
tituli S. Priſcæ,

AD LUDOVICAM MARIAM,

Regiam Sabaudiæ Principem,
Hiſpaniarum Reginam,
pro Summo Pontifice CLEMENTE XI.
Legatus à Latere, &c.

HEROICUM CARMEN.

HEſperiæ celſis aſſuete Penatibus Heros,
Exiguos nè ſperne lares: ſed fronte benignâ
Limina parua ſubi; ſubiensque ad sydera tolle.
Non hic aulæis phrygiato murice tectis
Inſtratus paries: non luxu hæc Aula ſuperbo
Principis excipiet; facili ſed nixa paratu
Paupertas te noſtra ambit; cui digna Mineruam
Exoraſſe ſcias è Cælo munera noſtram;
Vt poſſet cultu te ſuſcepiſſe decenti.
Accipe, Vir Princeps, humili quæ corde litamus;
Dumque tuas dabis his donis clementior aures,
Oc-

Occurrent animis tua geſta inſignia noſtris:
Occurret ſtudijs exculta ſenilibus ætas
Iunior; & grauibus iam tùm præludia curis
Portendens teneris Virtus robuſta ſub annis:
Occurrent nobis Æui maioris honores,
Romuleuſq; fauor, Regumq; ad ſumma potentum
Limina congreſſus, Famæque ad ſingula plauſus.
Sicq; tuum meritum venerantes undiq; Grande,
Tu noſtrum paſces animum; pulchrâque tuarum
Virtutum noſtras implebis imagine mentes.

Ad Ipſummet Purpuratum S. R. E. Principem, & noſtrum Antiſtitem, &c. eadem occaſione, qua Academiæ adſtitit.

DISTICHON.

Mirus es in noſtro Sol Palladis Orbe: quòd Vmbrâ
Nos & Luce tuâ protegis, irradias.

ALIVD.

Nec minùs es mirus, quàm Sol cũ Memnone; nam nos,
Saxa ſtupore prius, iam damus ore ſonos.

Ad

Ad Problema Faticoſorum Academiæ
corâm eodem
D. IOSEPHO ARCHINTO
S. R. E. Presbytero Cardinali,
Mediolanenſi Archiepiſcopo, &c.
Per D. Gaſparem Reynam I. V. C.
Academicum Faticoſum,
IL PERPLESSO,
eruditiſſimâ, & doctâ Oratione;
per reliquos verò Collegas
argutiſſimis varij generis Carminibus,
tùm Italicis, tùm Latinis,
ad mentium vsque delicias ſolutum; fuitque:

Vtrùm magis Clementia, an Zelus Principis ſubditos ad obedientiam trahat?

EPIGRAMMA.

Alluditur ad id Senecæ lib. 2. de Clementia cap. 3. *Clementia eſt lenitas ſuperioris aduersùs inferiorem in conſtituendis pœnis*: ſeu eſt *Inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda*; ex S. verò Thoma ſuper 1. ad Corinthios, *Zelus ſumitur pro amore, & feruenti dilectione.*

QVid Zelus ſit, Apollo refert; Clementia quid ſit:
Principis eſt Virtus iſta; nec ille minùs. *
Zelus amore calet; lenit Clementia pœnas:
Subiectique gregis cedit vtrumque bono.
An Zelus flagrans, magis an Clementia mitis
Subdat corda ſibi? ſoluo Problema breui.
Non amor eſt hominis veluti Clementia: plura
Scilicèt hanc vincunt: omnia vincit Amor. *

**Ex Seneca de Clem. lib. 1. c. 3. * Ex Virg.*

Ad

Ad
Ipſummet Principem,
& Purpuratum Antiſtitem, &c.
totius Faticoſorum Academiæ Nomine,
Gratiarum munera

EPIGRAMMATE

Expreſſa.

SÆpè, libente Deo, ſublimes propter honores,
Pyramis ad nubes extulit alta caput.

Purpureorum aliquando Patrum decorata fauore,
Vel ſupra nubes illa volauit ouans;

Principe at è noſtris Heroibus aucta, triumphans
Immortale rapit nunc ſuper aſtra decus.

Hinc Tibi noſtra Cohors grates Academica ſiſtit,
Clementi, Paſtor, Zelo animata Tuo.

De

De candidis apibus viſis,
tùm ad cunabula viuentis,
tùm, ſingulis annis,
circa tempus glorioſi eius tranſitûs
ad cellam extinctæ Beatæ Ritæ, viduæ,
Caſſiæ in Vmbria,
è ſacra Eremitarum S. Auguſtini
Regula Monialis.

DISTICHON.

ALba tuas quid apis cunas, cellamq; frequentat?
Rara Poli quod apis ſis, apis alba notat.

Ad amicum
de alicuius reſipiſcentiâ.

DISTICHON.

COrrexi iuuenem de crimine, vt ipſe volebas;
Erubuit: res eſt ſalua: timore vacat.
Ex Terentio in Adelphis act. 4. ſc. 5.

Beatus Andreas Auellinus
Clericus Regularis
optat propè mortem nudas ſuper tabulas
expirare.

DISTICHON.

ANdreas ſupra tabulam decedere nudam,
Diſcipulus Chriſti, Chriſtus vt alter, amat.

Ad Marchionem D. Mutium Redenaſchum
Faticoſum Academicum,

L'INCAVTO,

Ingenij, eloquentiæ, & morum laude florentem.

DISTICHON.

NOſtra tuo minor eſt merito laus; at tibi ſat ſit:
Æquari tantum non potuiſſe decus.

Lilia
DEI Genitricem exornantia.

DISTICHON.

FAlsò iactantur Iunonis ab vbere nata
Lilia: Virgineum parturit illa ſolum.

Præſepium, in quo eſt
IESUS, MARIA, IOSEPH,
contemplatur Auctor.

DISTICHON.

VEnit an huc Cælũ? beor hoc ſpectator in Antro:
Hic Cælum ſi non eſt; modò terra beat.

Fati-

Digitized by Google

Faticoſorum Academiæ Problema
Nono Calendas Martij,
Anno MDCCII.

Verùm

Plùs poſſit ſpecioſum verborum lenocinium; an ſolida aliqua ratio?

EPIGRAMMA.

AN magis ornatus verborum; vel mage, firma
Prævaleat ratio? reddit Apollo metro.

Qui vegetâ ratione carent, verboſa venuſtas
Suadet: eos ratio, qui ratione vigent.

Indè Viros ratio monet ampliùs una; hominesque
Pulchra loqueta rudes, præ ratione, trahit.

Digitized by Google

Ad Patrem D. Ioſephum Stampam
Clericum Regularem
è ſacra Somaſchæ Congregatione
illuſtrem Lectorem, &c.
Faticoſum Academicum,
IL DIVISO,
de prædicto Problemate
Oratorem admirandum.

EPIGRAMMA.

Quod ſit in ornatis permagna potentia verbis,
Te monſtraſſe tua Palladis arte putas:

Docte Vir, haud ſic eſt: ignoſcas: Stampa, probaſti
Id lepidis verbis; ſed ratione graui.

In tua quid noſtrum perduxit vota Lyceum?
Sermo-ne, vel ratio clara Problema docens?

Verbis ergo poteſt ratio mage: nanque refulſit,
Plusquàm verborum, res rationis ope.

Ad Arcam
in Ara Templi Mediolanenſis Maximi
à Martino V. Summo Pontifice conſecratâ
poſitam
vndecim Sanctorum Innocentium corpora
continentem.

DISTICHON.

VNdecim habet locus hic Heroes crimine puros:
O quot Theſauros tàm breuis Arca tegit!

Ad illud Iudæ proditoris ad Iudæos,
apud S. Matth. c. 26. 15.
Quid vultis mihi dare? & ego vobis eum tradam.

DISTICHON.

QVid dare vultis, ais, tradas vt iniquus Ieſum?
Deberet funem tradere quiſque tibi.

In quendam laſciuum.

DISTICHON.

NOn eſt lux, credas, Veneris quam cernis in igne;
Cæcum oculum mentis ſi facit illa tuæ.

Virgini cuidam, ſui ipſius abnegatio ingeritur.

DISTICHON.

QVotidiè moriare tibi, pia Virgo; Deoque
Viues; ſicque bonum eſt, nè moriare, mori.

Digitized by Google

Abbati D. Carolo Mariæ
Federici:
cuius Hetruſca Muſa,
ingenioſiſſimis non ſemel Carminibus,
amœnitate, & doctrinâ plenis,
noſtram Faticoſorum Academiam
in admirationem rapuit.

De homine maximè ingenioſo.

DISTICHON.

Vivere Phœnicem volucrem ſit fabula in Orbe;
Eſt Phœnix, raro qui valet ingenio.
Apud Plin. l. 10. c. 2.

Ignaro æſtimationem ſui captare cupienti,
conſilium.

DISTICHON.

Vis, licèt indoctus, à multis doctus haberi?
Pauperiem mentis conde: ſilendo teges.

In maledicum.

DISTICHON.

Deprime, lingua dicax, inſontes; non tamen illos
Opprime: quid dico? non potes opprimere.

B. An-

B. Andreas Auellinus Clericus Regularis
in terris degens
patiendi ſemper auidus.

DISTICHON.

QVid petit Andreas? ſors, nè patiatur vt omnis
Vellet? amat Fortis: *quin cupit ille pati.*

De homine ſcandalum præbente.

DISTICHON.

Alluditur ad illud S. Iſidori de ſummo bono l. 2.

Dupliciter reus eſt, qui apertè delinquit:
Quia & agit, & docet.

NOn vnum: peccata duo committit in vno:
Bis reus eſt; iſtud nanque, patrando, docet.

Admoto mulieri Florentinæ per dæmones vexatæ flagello, quo B. Chriſtina Vicecomes,
Virgo è Mediolanenſi Vicecomitum ſtipite,
ſacroque è S. Auguſtini Ordine,
ſe viuens diù, noctùque feriebat,
inferni tyranni illicò à cruciata diſcedunt.

DISTICHON.

VIx obſeſſa flagrum Chriſtinæ tangit; Auerni
Aufugit hoſtis; eo percuti an ipſe timet?

IESUS, & MARIA in Bethlemitico Præſepio illacrymantes.

DISTICHON.

FLet Ieſus, & Virgo: dolore, & amore mouentur:
Me peccaſſe vident; me nec amare ſinunt.

Ad amicum, de quibusdam eius amicis.

DISTICHON.

DIuitias cupit ille tuas; cupit ille & honores;
Nè fide: in cupido eſt pectore nulla fides.

Ad Sanctos Martyres cum palmis in manibus pictos.

DISTICHON.

VEſtra triumphales quid defert dextera palmas?
Has, Equites Chriſti, morte ſecante, metunt.

Defenduntur Equites aliqui, de honore ſuo cum alio Equite diſsidentes.

DISTICHON.

Allud. ad illud tritum de Deo:
Honorem meum nemini dabo, &c.

PArcat Eques paribus, ſi nil ſibi debiti honoris
Dimittunt: nulli hunc, vel Deus ipſe, dedit.

Ad

Ad Problema
de primo *Fiat* DEI in Mundi creatione;
& de ſecundo *Fiat*
MARIÆ VIRGINIS ANNUNCIATÆ
in eiuſdem Mundi inſtauratione.

DISTICHON.

HÆreo: cui Fiat *mage debet Mundus: ab illo*
Efficitur; ſed et, hoc deficiente, perit.

Inſcriptio Sepulchralis.

Hoc
Baſſianus Porronus
Sepulchrum:
Hoc
Carolus Cæſar Corius
Sacellum:
Vterque
Vt ſibi, ſuisque prouideret,
Conſtituit.

Beatus Andreas Auellinus
Clericus Regularis,
cum Caſſiano lib. 5. de ſpiritu caſtrimargiæ c. 30.
affirmans:

Ante omnia mortificandam gulam tendenti
ad Chriſtianam perfectionem.

DISTICHON.

CVr docet Andreas, ſanctâ priùs eſſe domandam
Arte gulam? nobis prima quòd hoſtis adeſt.

D. Po-

Digitized by Google

D. Polidoro Chalco
Urbanæ militiæ duci,
qui rem bellicam
optimè
cum pietate, & literis componere nouit:
illam egregiè exercendo;
has noſtris in Academijs:
MARIÆ ſine labe Conceptæ:
& Faticoſæ Mineruæ
continuâ ſua fouendo præſentiâ.

De ſapiente Viro.

DISTICHON.

Allud. ad illud Horatij lib. 1. epiſt. ad Mæcenatem:

Ad ſummum, Sapiens vno minor eſt Ioue:

SI minor eſt vno, ad ſummum, ſapiens Ioue: maior
Non eſt hic vllus Vir ſapiente Viro.

Ad amicum.

DISTICHON.

VIrtutem rebus tu nè poſtpone caducis:
Nulla tibi ex iſtis; ſemper at illa manet.

Ad

Ad
Problema Faticoſorum Academiæ
Pridie Nonas Aprilis,
Anno MDCCII.

An maioris ſit pretij Rhetor, vel Politicus?

EPIGRAMMA.

Inſiſtitur notis definitionibus, & effectibus Rhetoricæ, & Politiæ.

SItne Politicus, an Rhetor mage dignus honore?
Aoniâ debet Muſa referre cheli.
Ille præire cupit; cupit iſte præire: putatur
Quiuis inniti non ratione leui.
Rhetor enim dicit benè: corda mouet: mouet vnus
Quoslibet affectus: vnus eosque regit.
Immò voluntates hominum ſpoliare videtur
Libertate: ſuo blandus amore trahens.
Id quoque demonſtrat, ſe poſſe Politicus: ipſo
Scilicèt omnis Res-publica agente viret.
Cum venia tamen Eiuſdem, ſunt Rhetoris iſthæc
Dona: Politicus his vtitur: hiſce valet.

Ad D. Michaelem Maddium
Mediolanenſis Senatus
à ſecretis:
nec non in Palatinis Gymnaſijs
Græcæ, & Latinæ eloquentiæ Profeſſorem,
Faticoſum Academicum,
L' AFFATICATO;
de prænotato Problemate Oratorem
Rhetoricâ, & Politiâ egregiè fulgentem.

EPIGRAMMA.

ESne Politicus, ò Maddi, vel Rhetor? vtriſque
Dignus an eximijs laudibus vnus ades?
Illá te clarum, Patriæ docet eſſe Senatus:
Hac, Palatinis teque preeſſe Scholis.
Quæ modò prompſiſti ſapiens ſimul, atque diſertus,
Sat produnt, quod habes vnus vtrumque decus.

Mortem exprobranti, quòd optimum
aliquem iuuenem
peremit.

DISTICHON.

NOn fuit hoſtis huic iuueni mors: ſuſtulit illum;
Cælicus vt vitam ſæcula cuncta trahat.

BEA-

BEATÆ VIRGINIS MARIÆ in Conceptione ſua illibatæ.

ELOGIUM

Sacræ Scripturæ figuris, velùt luminibus illuſtratum.

Creauit Dominus Nouum ſuper terram,
Ab æterno ordinatum,
Quale nec vllus vnquàm audiuit;
Nec ſimile vidit;
Sed vniuerſa de Eo diem Feſtum agit Eccleſia;
Vt deuinctiſſima veneratione colatur.
Dignum Filio Diuino Habitaculum
Suprema præparauit Patris
Omnipotentia;
Infinita ſibi ædificauit Filij
Sapientia;
Immenſus Sancti Spiritus perluſtrauit
Amor:
Pro Templo ſuo
Sanctificauit Altiſſimus:
Quòd Sanctitudo ſemper deceret
Domini Domum.
Columbam
Vocaturus è Libano
Candidiſſimus Sponſus,
Puriſſimam voluit, efformauit.
Vt glorioſa dicerentur de illa,
Ciuitatis ſuæ Celſitudine,
Reliquarum omnium Celſitudines
tranſcendi ſtatuit.

Hinc

Hinc eius fundamenta fuere in Montibus Sanctis;
Immò in Sanctorum Montium vertice.
Huiusmodi miræ Vrbis
Nec paſſus eſt Portam aperiri aliis,
Qui ingreſſurus per illam erat
Omnium Rex;
Sicque illius tenebatur affectu;
Vt Eam, ſuper cætera Iacob dilexerit Tabernacula;
Nitidiſſimæ Innocentiæ Sedem,
Tanquàm terreſtrem ſuam Aulam;
vel potiùs in terris cæleſtem
Sibi Dominantium Domino
Reſeruatam:
MARIAM,
Non tantùm Virginum Virginem,
& Virginem ſemper;
verùm & temeratam nunquàm,
vel minimâ, primi Parentis culpâ:
Clariùs accipe:
Matrem ſuam
Originis etiam crimine
Omninò illæſam,
Immaculatam.

Ad

Ad Beatiſſimam Virginem MARIAM in præſentibus bellorum calamitatibus Inuocatio.

DISTICHON.

Alluditur ad illud Pſalmi 71. 7. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, ſic à B. Amedeo expoſitum:

Tradit fides maiorum, iuxta veritatem hiſtoriæ, ab ortu Saluatoris vſque ad tranſitum Glorioſæ, terrarum accolas, ſopitâ armorum rabie, continuâ, ac tranquillâ pace quieuiſſe.

IN terris degens potuiſti extinguere bella:
Extingue è Cælis noſtra, perenne Mare.

Ad eandem clementiſſimam Deiparam.

DISTICHON
iuxta Patrum de ea ſenſum.

ESt tibi mens ſapiens, ò Virgo, potensq; voluntas:
Nam ſapis, atq; potes: ſi velis, ergo iuuas.

Ad Sanctum Felicem
è Regia Valeſiorum Familia ſatum.

DISTICHON
ſuper Eius Vitæ felicitatem,

NOmine vt es Felix, *es re: Virtute: canente*
Matre DEI tecum: Teque beante DEO.

AD

AD IESUM
In Paſſione ſuâ, ſanguine vndique exundantem,
Auctor.

DISTICHON.

Eſt adamante mihi cor, IESV, durius omni;
Sanguine non etenim frangitur, Agne, tuo.

Idem Auctor
de ſui cordis duritie ad DEUM
loquitur.

TETRASTICHON.

IN me ſemper agit tuus ignis amoris; amoris
Nec tanto efficitur molle cor igne meum!
Malleus ergo, timor, cor conterat; illo vti durus
Conteritur, cùm ſit durior igne calybs.

Deiparæ ſemper Virgini deponit Librum ſuum
Auctor.

DISTICHON.

Siſto meum tibi, Virgo, Librum, tuearis vt illum;
Liber & à culpis ſim tibi ſeruus amans.

FINIS.

IN-

INDEX AD EXTEMPORANEA MISCELLANEA

Quartæ Partis.

A.

Abnegatio ſui cuidam virgini conſulitur. Diſtichon. 533
Abraham excuſatur à mendacio, dicens vxori; vt eius ſoror vocetur. Diſtichon. 74
Abſalom capillis ſuſpenſus, & quarè? Diſtich. 245
Academiæ Faticoſorum magnanimitas. Diſt. 326
Acetum Ieſu Chriſto in Cruce porrectum. Diſt. 73
Adam, an Eua grauiùs peccauit? Diſtichon. 283.
Adam ſub Ieſu Cruce tumulatus. Diſtichon. 229
Adamas, ſymbolum Mariæ Virginis. Diſt. 387. 388
Admiratio de ethnici tenebris. Diſticha. 304
Adoleſcentes aliqui, ſenes ſe appellantes, corriguntur. Diſtichon. 225
Adulator. Diſtichon. 381. 442. illius odit Auctor amicitiam. Diſtichon. 16
Aduerſis petitus releuatur. Diſtichon. 222
Aeger animo, ſi verbis feritur, ſe manifeſtat, quis ſit. Diſtichon. 244
Ægrotus, ad Deum conuerſus. Diſticha. 115
S. Æmiliano lyram tangenti Ieſus accurrit. Diſt. 56
Ænigma de Rege, & lege. Diſtichon. 411
Æquitas debet eſſe in iuſto. Diſtichon. 66
Ætas apta ad Religioſum Habitum induendum. Diſtichon. 100
Æternitas noſtra à momento dependens. Diſt. 4180
Æternitatis meditatio moralis: eius aſſimilati. inſtanti nunquàm prætereunti. Elegia. 157
Affectus ad Amorem diuinum. Diſtichon. 331.

Ad Deum pro nobis incarnatum, & patientem. Diſticha. 431. 442. 507. *ad eundem, SS. Euchariſtiâ acceptâ. Diſtichon*. 160. *ad Deiparam. Diſticha*. 459
Affectus ad conſanguineos immoderatus. Diſtichon. 9
Afflicti ad leuamen vocati. Diſticha. 32. 108. *adinuicem ſe conſolantur. Diſtichon*. 102
S. Afra priùs impura, tùm caſta, & Martyr. Diſtichon. 244
S. Agatha in Martyrio intrepida. Diſtichon. 193. *mamillis priuata, gaudet virili virtute. Diſtichon*. 133
S. Alcimus Viennenſis Epiſc. ſacram Geneſim carmine promit. Diſtichon. 231
P. D. Alexander Caius Clericus Regularis. 187
D. Alexander Guidi Vates Italicus. Diſtich. 333
Alexander Macedo ad currendum inuitatus, quid reſpondeat? Diſtichon. 177. *pro theſauris ſuis amicos monſtrat. Diſticha*. 223. *eius ad Arimazetem reſponſio. Epigramma*. 276
Alexander quidam magnus corpore; paruus animo. Diſtichon. 133
D. Alexander Litta Academicus Faticoſus Proprinceps IX, Lo Scioperato. 383
P. D. Alexander Vicecomes Cler. Reg. Academicus Faticoſus, Il Penſoſo, *Oratione elegantèr ſoluit*: An prodigalitas, an auaritia magis noceat? *Epigramma*. 216. *Diſticha*. 216. 217
